Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/1

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/2

# ACTA
## SOCIETATIS IABLONOVIANAE
## NOVA.

*TOMUS III.*

LIPSIAE,
IN BIBLIOPOLIO KÜHNIANO.
MDCCCXII.

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/3

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/4

# CONTENTA.

I. Fr. B. Weberi, Profess. nunc Vratislaviensis, dissertatio praemio A. 1802. ornata de annonae caritatis notione, caussis et remediis. - pag. 1 — 44

II. Quae fuit quondam septentrionalibus in regnis iarliatuum ratio? Quae Iarlorum origo? Qui honor et dignitas? Quae iura ac munera? Quae denique fata? Auct. A. L. Schlözero, ab intim. iustit. cons. et Prof. quond. Gotting.

I. Antelogium. - - 45 — 46
II. Varia Iarlorum genera. - - 46 — 47
III. De dignitatum titulis in genere. 47 — 51
IV. Patria atque originatio nominis Iarlici. 51 — 53
V. Antiquitas nominis officiique Iarlici. 53 — 54
VI. Iarli Norvegici. - - 54 — 61
VII. Eorlae Anglici. - - 61 — 67
VIII. Iarli Suecici. *A.* Marchiones. 67 — 72
*B.* Palatini. - 72 — 85
IX. Iarli principes regnantes. - 85 — 89

III. De incrementis ac progressibus litterarum mechanicarum seculo duodevigesimo. Auct. D. Io. H. Mor. Poppe, Prof. mathes. et phys. in gymnas. Francof. ad Moen. - 91 — 182

IV. De

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/5

IV. De Witechindi Corbeiensis vita et scriptis annaliumque codd. et edd. cum consilio novae editionis parandae. Auctt. Glo. Fr. Aug. Bercht, et Geo. Adph. Ed. L. B. de Brincken, I. V. C.

Cap. I. De Witechindi Vita. - pag. 128 — 135

Cap. II. De Witechindi scriptis deperditis. 135 — 137

Cap. III. De Annalium indole et ingenio auctoris. - - - 137 — 150

Cap. IV. Iudicia quaedam de Witechindi Annalibus, omissis iis, quae apud Meibomium leguntur. 150 — 152

Cap. V. Recensio Codd. et edd. De opera nostra ad novum codicem eruendum frustra adhibita. 152 — 160

Cap. VI. Variae lectt. Frecht. - Meibom. et Frecht. - Reinecc. Additis quibusdam e Lehmanni Chron. Spir. - - - 161 — 174

Cap. VI. Consilia ad novam editionem parandam 174 — 180

Cap. VIII. Notae nonnullae, loco speciminis novae editionis exhibitae. - - 180 — 187

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/6

# I.

# FR. B. WEBERI,

PROFESS. NVNC VRATISLAVIENSIS,

DISSERTATIO PRAEMIO ORNATA

DE

# ANNONAE CARITATIS NOTIONE, CAVSSIS ET REMEDIIS.



Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/7

Proposita est a societate scientiarum Iablonoviana, quae Lipsiae floret, quaestio oeconomica:

> quaenam sit caritatis annonae, et aliarum rerum essentialis et absoluta notio? Denturne praeter inopiam e *caussis physicis*, et ab exportatione, nullis legibus adstricta, ortam, aliae tam omnis, quam illius inprimis caritatis caussae, quae nostram aetatem vexat? quaenam remedia mercaturae commerciis non damnosa commode adhiberi possint, ad istam caritatem vel avertendam, vel minuendam?

Quae quidem cum sit ad investigandum aeque gravissima, ac ad decidendum difficillima quaestio, velimus benigne atque indulgenter excipiantur pauca et levia, hic de ea re prolata: inprimis cum et temporis et spatii angustia nobis non permiserit, ut fines dissertatiunculae ultra primas lineas de hac materia ducendas protenderemus.

Iam cum tribus partibus constare debeat dissertatio ita scripta, ut quaestioni propositae satis respondeat, primum omnium inquirendum erit in naturam caritatis annonae, aliarumque rerum, quo melius ad declarandam notionem, et genera ipsius describenda perveniamus. Quod cum fieri bene nequeat, nisi investigata et enucleata pretii notione magis generali, a qua nempe caritatis notio pendeat, necesse erit, ut ante omnia declaremus, quid sub pretio



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/9

rerum intelligatur [1]). Duplex vero est pretii notio, cum sit vel *reale, Realpreis, Realwerth*, i. e. uti Smith in libro per-

1) Liceat adhuc nobis, hac nota praecipuos eorum libellorum, et scriptiuncularum commemorare, in quibus de re nostra bene scriptum est. Pertinent huc de caritate in universum: Bloks *Ursachen der Theurung der Lebensmittel. Wittenberg* 1777. 8. 2 *Gr. Versuch von den Ursachen des gegenwärtigen hohen Preiſses der Lebensmittel, wie er mit der Ueppigkeit, den umlaufenden Capitalien, Nationalschulden, den Auflagen verbunden ist; aus dem Englischen übersetzt. Leipz.* 1776. 8.: qui libellus Angliam praecipue attinet. von Sonnenfels *Abh. von der Theurung in Hauptstädten, und den Mitteln, derselben abzuhelfen. Leipz.* 1769. 8. egregie scriptus libellus: — *Deutliche Angabe eines untrüglichen Mittels der gegenwärtigen Theurung der Lebensmittel, selbst ohne Mitwürkung der Policey abzuhelfen u. s. w. Wittenberg* 1800. 8. de quo dein plura: praecipue vero C. G. Roessig *die Theurungspolicey; oder historisch-policeylicher Versuch über die Theurung, und den Gewerbwucher, über die Ursachen der erstern, und die Mittel und Maaſsregeln, beyden möglichst zu steuern u. s. w. Leipzig* 1802. 8. qui liber omni laude est dignus. Dein vid. *Ueber die Ursachen der Theurung aller Lebensmittel, und die Mittel, einen billigen Preis herzustellen; im Journal von und für Franken, Heft III. no.* 4. porro: *Des Hausvaters Betragen bei einer Hungersnoth und Theurung; in* Münchhausens *Hausvater, Th. III. Abtheil. XII. p.* 541 — 714, ubi consilia rei publicae et privatorum saluti admodum utilia multa reperies; porro de Berg *Policeyrecht der Teutschen, Th. III. Buch III. Abschnitt II. Hauptst. VIII. p.* 133 — 177, ubi egregie expositum est, quid sit iuris et politiae circa caritatem annonae, aliarumque rerum.

De hac caritate annonae vero, et de remediis eam evitandi, et avertendi in specie conferas: Unger *Ordnung der Fruchtpreise. Göttingen* 1755. 4. Philippi *vertheidigter Kornjude, Berlin* 1765. 8. *Briefe eines Landedelmanns über Theurung und Mangel des Getreides. Leipzig* 1772. 8. *Ver-*

peregregio (*von Natur und Ursachen des Nationalreichthums. Th. I. p.* 58) ait, quantitas rerum ad vitam humanam necessariarum, quae nullo non tempore laboranti pro labore suo seu potius pro re, labore suo procreata, conceditur; vel *nominale, Nominalpreis, Geldwerth,* i. e. ea pecuniae summa, quae pro re aliqua solvitur, tanquam aliquid, quod aequivaleat. De hoc solo Montesquieu loquitur, si in libro: *Esprit des loix,* Lib. XXII. cap. VII dicit, pretium rei alicuius esse certam partem pecuniae in republica versantis, quae certae parti mercium conveniat.

Illud iam generale est, ideoque semper stabile et firmum, cum quaevis res, labore aliquo producta, alio laboris opere sit digna i. e. idem pretio aequet [1]); hoc contra

*such einer allgemeinen Kornpolicey, nebst 2 Abh. über die Preise und den Landbau; aus dem Franz. des Herrn* Herbert *übersetzt von* J. S. Haller, *Berlin* 1756. 8. Breidenstein *Mittel eine Fruchttheurung von einem Lande abzuhalten, Frankfurt* 1773. 8. von Zahlheim *Versuch über die Mittel, Mangel und unrechten Preis der Körner zu verhindern. Wien* 1779. 8. et alios libros, dein de commercii frumentarii libertate citandos. Addimus modo de Anglia adhuc: Smith *vom Getreidehandel, und den darüber vorhandenen Gesetzen in Englaad;* in libro: *Von Natur des Nationalreichthums. Th. III. p.* 558 — 593, denique Thaer *Einleit. zur Kenntniſs der engl. Landwirthschaft u. s. w. Th. III. p.* 114 — 213. 218 — 253.

Postremo quomodo omni omnium rerum caritati penitus, et in aeternum mederi possit respublica, docuit etiam celeberrimus Fichte in libro: *der geschlossene Handelsstaat, ein philosophischer Entwurſ, als Anhang zur Rechtslehre u. s. w. Tübingen* 1800. 8. Quo unquam vero tempore, et qua unquam in terra adhiberi et perfici poterint consilia hic proposita et commendata!

[1]) Recte ait Smith l. c. p. 52. „*Arbeit ist der erste Preis, der* „*für alle Dinge bezahlt werden*

tra omnibus iis vicissitudinibus, ét mutationibus est obnoxium, quas pecunia numerata, tanquam id, quod aequiparetur aliis rebus (*als Aequivalent*), experitur. Hoc ipsum porro est vel *naturale, natürlicher Preis*, vel quod *forense* vocant, *Marktpreis.* Quod utrumque, ut recte possimus describere, necesse erit, ut animadvertamus primum, quibusnam partibus fundamentalibus pretium omnino constet? Qua in re, si Smithium [1]) sequi velimus, harum partium tres plerumque assumere debebimus: primum eam, quam merces operis ad producendas res, de quarum pretio quaeritur, necessarii progignat, deinde eam, quam lucrum a sorte in opere illo collocata speratum, denique eam, quam census pro terra, ubi productio facta sit, solvendus constituat. Si vero magis generaliter rem nostram explicare velimus, recte etiam dicemus: pretium in universum duabus partibus contineri, altera ea, quam impensae et sumtus cuiusvis generis omnes, quibus opus erat [2]) ad rem producendam et conficiendam, constituant, altera ea, quam lucrum a sorte in eo opere collocata speratum procreet. Duabus enim hisce partibus quodvis cuiusvis rei pretium constat, cum quivis labor impensas quasdam ad ipsum factas praesubponat, nec unquam, nisi lucri caussa, suscipiatur; — tribus illis vero non ita semper, — uti Smith ipse ait [3]): cum ratione quarun-

„*muſs*“ et p. 53. „*Arbeit ist der* „*reellste und letzte Maaſsstab des* „*Tauschwerthes aller Güter u. s. w.* cf. et Lüder *über National-industrie und Staatswirthschaft. Th. I.* p. 76 sq.

[1]) Smith l. c. Th. I. p. 84 sq. et Lüder Th. I. p. 80 sq.

[2]) Has Smithius complectitur et intelligit sub sorte illa ad opus tractandum necessaria.

[3]) l. c. p. 93.

quarundam rerum interdum tertia illarum partium deficiat etc. licet omnino una ex iisdem nullo non tempore cuique pretio, tanquam elementum, debeat subesse.

Iam pretium *naturale* vocamus id, quod solito et ex more constituitur summa et quantitate partium fundamentalium, quibus ipsum omnino constat, et cuius summae restitutionem, vel praestationem postulat dominus rei, ut eam vendere velit et possit. Sub eo vero, quod *forense pretium* appellant, intelligunt id, quod *plerumque* in mercatu pro re aliqua vere solvi solet, ut tale, quod eandem aequiparet.

Hoc iam admodum variabile est, et incertum, cum pendeat a ratione, qua numerus et qualitas venditorum et copia, in qua res aliqua ad mercatum ab ipsis proponitur, referuntur tum ad numerum et qualitatem emtorum, qui eam quaerunt, tum ad gradum necessitatis, qua opus ea habent. Maiore enim vel minore concursu emtorum, eorumque magis vel minus opulentorum, et re illa plus vel minus indigentium, et quidem tum numero venditorum, tum copiae, in qua res mercatui patet, tum necessitatis, qua ipsos interest venditio, magis vel minus pari vel impari, — pretium hoc forense supra naturale magis vel minus aut tollitur, aut idem infra minuitur. Animadvertendum tamen hic est, bene quidem fieri posse, ut forense rerum quarundam pretium per longum tempus *superet* naturale; non ita vero, ut sit aeque ipso multo inferius: cum venditores copiam earum divendendam statim ita tum sint minuturi, ut inde pretium necessario rursus crescere debeat.

Haec

Haec igitur maxime generalis et accuratissima est pretii forensis lex et norma. Quodsi vero eam et pro naturali pretio quaeramus, accuratiorem, et magis generalem reperire non poterimus quantitate laboris, illi pari, i. e. tali, quam pro re quavis possimus impetrare, seu per eam quasi emere. Labor enim omnium ultimum est quasi punctum, ad quod pretium rerum omnium potest reduci, i. e. quodvis cuiusvis rei pretium naturale semper aequiparat aliquam laboris quantitatem, qua res illa permutari queat. Argenti, s. omnino pecuniae pretium nimis subest nimiae mutationi, quam ut tanquam norma talis possit assumi; quod et de pretio frumenti valet, et ipso admodum fluctuante atque incerto.

Quibus quidem de natura pretii ita expositis iam ad illustrandam caritatis notionem universalem et absolutam progredi possumus. Sub *caritate* nempe in universum intelligendus est talis pretii gradus, ut solita laboris quantitas non sufficiat, ad pretium hoc (naturale scilicet, et cum eo potissimum forense) aequiparandum, sed multo maior requiratur; seu aliis verbis caritas absoluta tum locum habet [1]), si pretium ita crevit, ut gradum, quem solito ex more, et secundum id, quod im *Durchschnitt* [2]) vocamus,

[1]) Ita Smith l. c. p. 50 — 160 ait: „*theuer ist in allen Orten,* „*und zu allen Zeiten das, was* „*schwer zu bekommen ist, dessen* „*Erlangung viel Arbeit* (— laborem, non operam *Mühe*) *kostet.*"

[2]) Hoc pretium, quod medium vocant *Mittelpreis*, *Durchschnittspreis*, facile ita eruitur, ut pretia, quae per certam plurium annorum seriem rei, de qua quaeritur, fuerint, calculo computes et colligas, et numerum ita inventum cum numero annorum illorum dividas: qui iam inde oritur numerus, is pretium illud medium continet.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/14

mus, tenet, multum excedat, ita ut difficile sit, ei satisfacere [r]).

Quomodo iam vero pretia ita crescant, quo modo comparata sit haec dfficultas iis satisfaciendi, id dependet primum 1) ab inopia rerum ipsarum vera vel ficta, deinde a diminutione et vilitate pretii eius rei, qua aliae res permutari queant, ut tali, quo, quod aequiparet ipsas, (*als Aequivalent*,) comparatur, i. e. apud nos, in nostris terris et temporibus, potissimum ex diminutione et vilitate pretii pecuniae, tanquam talis medii permutatorii quasi *(als allgemeinen Tauschmittels)* considerati; ea quidem ex nimia eius augmentatione et copia enata. Inde iam caritas varii omnino est generis, seu oritur inde varia caritatis divisio.

Nempe cum iam supra viderimus, pretium per se et primum omnium esse vel reale, vel nominale, oritur inde principalis caritatis divisio in *realem*, et in *speciosam*. Sub illa intelligimus eam, quae vero rei pretio ob inopiam veram vel fictam elato et aucto consistit; sub hac vero eam,

[r]) Haec est absoluta et universalis caritatis notio; quam relativam vocant, i. e. quae singulas res, singulos locos, et tempora singula attinet, quatenus ea cum singulis aliis rebus, singulis aliis locis, et temporibus singulis, ratione pretii, comparantur, ea nostra hic nil interest, cum partim modo per se specialis sit, partim cum non de historia, sed de natura et caussis caritatis omnino nobis hic sit sermo. Caeterum animadvertamus, saepe sub caritate κατ' ἐξοχὴν, ut dicunt, intelligi inprimis *annonae caritatem*, propterea nempe, quod haec utique sit durissima; et satis constet, cum pretio frumenti pretia rerum omnium crescere. Nam panis et victus omnino omnium primum efficiunt sumtum, cuius restitutionem postulant laborantes; ita ut tanto magis sint cari, quanto magis ipsi pro illo solverint.



Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/15

eam, quae nominale pretium auctum continet, unica quidem caussa nixa, nempe nimia pecuniae augmentatione, qua pretium huius ipsius pretio rerum multo inferius factum est. Speciosam eam dicimus, quoniam non inopia nititur, sed universali modo nominalis rerum omnium pretii mutatione eo, quem diximus, modo orta: cum realis caritas contra inopiam rerum praesubponat.

Illius nempe, scilicet realis caritatis, licet unica sit caussa, rerum inopia, tamen huiusce ipsius inopiae tum plures iterum sunt caussae et origines, tum varii fines et notae, ideoque dividitur haec caritas rursus *a*) in *veram* s. *naturalem*, i. e. quae e vera inopia rerum e caussis naturalibus exorta, ipsa est enata; et in *fictam* s. *artificiosam* i. e. quae inopia nititur, arte quasi ita parata, ut copia rerum, quae ad mercatum proferri possit, consulto retineatur, atque celetur: e. g. ratione frumenti, accumulando et reponendo, vel coëmendo eo, vel venditione eius coërcenda et impedienda:

*b*) in *universalem*, i. e. quae omnes cuiusque generis res et locos attinet; et *specialem*, i. e. quae singulas res et locos tangit.

*c*) in *temporariam*, i. e. quae per aliquod modo tempus durat, et *diuturnam*, i. e. quae per longum tempus durat.

Quae quidem caritatis distributio omnino summi est ponderis, atque bene animadvertenda, cum inde pendeat, utrum caritas sit damnosissima et periculosissima, ideoque curam et auxilium politiae impellat, vel minus? Nempe solummodo de ea, quam realem vocavimus, et in veram et artificiosam divisimus, caritate omnia illa mala, utique gravissima et maxime metuenda, valent, quibus tempora

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/16

saepe premuntur; contra hanc solam vim, operam et curam suam intendit politia, ad caussas eius vel avertendas, et vitandas, vel tollendas et exstirpandas, s. certe minuendas, et ad damna ipsis data reparanda. Altera vero seu speciosa praecipue in terris bene sitis, et bene comparatis potius est adoptanda, et laudanda, cum insignem et eximium opulentiae et divitiarum civium florem et magnitudinem clarissime testetur. Huic potius favet politia, quum eatenus maxime valeat ad augendam rerum omnium productionem, atque industriam incitandam, — quatenus emtorum, licet magna rerum copia parata, tamen auctum numerum, et opulentiam, atque indigentiam tamen amplificatas ostendat. Tantum abest, ut ei adversetur politia, eamque impediat, ut potius nimiae pretii deminutioni, inopia pecuniae, vel impedimentis circulationi eius structis nixae, uti damnosissimae et maxime perniciosae, studeat occurere. Id modo curat politia, ut videat, quomodo indemnes reddere possit singulos reipublicae cives, qui adeo ex hac caritate damna haud exigua sentiunt, uti post demonstrabimus; et quomodo occurrat aliis caritatis vere damnosae caussis, quae plerumque illi accedant, fraude vel lucri cupidine hominum additae: inprimis vero, quomodo eam a rebus ad vitam maxime necessariis, quantum fieri possit, declinet et avertat.

Duorum vero horum caritatis generum, (i. e. verae et artificiosae) quae noxia et metuenda declaravimus, non semper aequalia sunt damna et pericula; cum multum intersit, utrum ea cara sint, sine quibus vita humana consistere nequeat, — unde nullo non tempore summae perniciei, et malorum atrocissimorum fontem oriri vidimus —



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/17

an caritas ea tangat, quae vel ad commoditatem, vel ad suavitatem, vel ad luxuriam hominum pertineant: quae posterior potius variis modo utilem, et salubrem se poterit ostendere; nempe vel minuenda et coërcenda nimia civium luxuria, vel incitanda et augenda eorum industria et solertia. Etenim si verum est, quod et experientia haud raro docere videtur, in instiganda et impellenda hominum, praecipue vulgi diligentia et assiduitate, nihil efficacius esse necessitatis et indigentiae concitationibus [1]); semper etiam animadverteris, nimis levia et exigua rerum pretia id effecisse, ut ignaviae et pigritiae homines servirent; quod exempla terrarum totarum, et temporum quorundam historia satis docuere [2]).

Haec de caritate in universum. Nunc

## II.

de caussis caritatis in universum, inprimis vero eius, quae nostra tempora vexat, erit disserendum.

Quas, quippe propter multitudinem et varietatem admodum dispersas et diffusas, quo melius indagare et colligere, collectas perspicere, perspectas perpendere, et inter se comparare queamus, necesse erit, ut duabus classibus eas comprehendamus. Hoc unum modo liceat hic praemonere, varias hasce caussas maxime eam, quam naturalem,

[1]) „*Tant, qu'on est dans le besoin, on travaille, on ne cesse à travailler. que quand le besoin cesse.*" Raynal *hist. des établiss. des Europ. dans les deux Indes, lib. II. p.* 284.

[2]) De eo legendus est liber Münchhausenii *vom freyen Kornhandel*, §. 32. p. 110. qui narrat, pretiorum rerum omnium nimia vilitate pluribus commerciorum et quaestus civilis generibus magnam iacturam olim factam esse; et multos homines facultate sese alendi fuisse destitutos.

ralem, et veram, et dein eam, quam artificiosam appellavimus, caritatem attinere, non ita et speciosam; quippe cuius unam modo esse caussam, iam supra vidimus, et adhuc videbimus. Anne vero, et quatenus ea, quae nostra tempora vexat caritas, vere speciosa sit, id praecipue nobis deinde erit inquirendum.

Secundum duas vero illas classes caussae caritatis sunt vel *principales*, i. e. quae veram et naturalem rerum inopiam secum trahunt, statim et vere minuenda, infirmanda, et extenuanda rerum copia, et qualitate; vel *secundariae*, i. e. quae solummodo indirecte inopiam et caritatem suscitant, vel impediendo, ne copia rerum crescat, et negligendo, ut impedimentis huic incremento structis occurratur, vel inprimis commercio harum rerum nullatenus curando et moderando. Plerumque illae et generales sunt, hae vero speciales.

I. Ad principales iam iam et generales caritatis caussas referendae sunt:

1) Inopia rerum, praecipue vero frugum e caussis physicis exorta, i. e. e calamitatibus, ex tempestate, sterilitate, insectorum devastatione, incendio casuali etc. enatis. Non crediderim vero, haec mala nostra tempora ita vexasse, ut caritatem frumenti producere debuissent: at omnino fuit prima et principalis caussa eius caritatis, quae annis 1770 — 1772 plures terras vehementissime turbavit.

2) Inopia rerum ex devastatione terrarum bellica, vel omnino occasione belli [1]) exorta: quippe qua tot agri fertiles

[1]) Quo pertinet e. g. subita et frequentissima peregrinorum exercituum immigratio, transitus, vel commoratio longinquior in aliqua terra; id quod nostris temporibus saepe occurrit.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/19

tiles penitus devastantur, tot horrea et stabula expilantur, et delentur, tot praedia et domicilia plane diruuntur.

3) Inopia rerum, cuius caussa in nimia et imprudenti earum exportatione, vel etiam importatione plane intermissa latet. Nunquam enim per se venditio et exportatio rerum liberrima inopiam earum adducet, cum potius spes optimae et certissimae venditionis inde oriunda in contrarium operetur, maxime nempe incitanda industria et studio, summam earum quantitatem producendi et conficiendi: attamen si tempore verae penuriae illarum rerum, ipsam terram vere prementis, adhuc aeque libera, et nullis finibus circumscripta continuatur exportatio, sequi inde debebit, ut plenam inopiam summo cum reipublicae detrimento suscitet. Atque hanc quidem, licet non negaverim, in quibusdam terris nominari posse caussam, quae nostro tempore, ubi permagnam frugum quantitatem in Angliam transportatam esse audivimus, caritatem frumenti ibi produxerit: contenderim tamen, hanc transportationem non tantam fuisse, ut veram et magnam frumenti inopiam in terris Germaniae vere effecerit; sed modo pretium eiusdem valde ipsa auctum et elatum esse, occasione venditionis nempe ita maxime aucta et amplificata. Partim enim non omnes terrae, in quibus nunc annonae caritas est, exportationis huius partem habuere, partim vero maxime triticum in Angliam est traductum, non ita secale cereale, quod tamen et ipsum magni apud nos est pretii; denique notum est, magnam hordei et avenae quantitatem nullo non tempore e Germania in Angliam transiisse, qua, licet Angli ipsi triticum exportaverint, ipsa Anglia tamen nun-

[1]) Non enim amant Angli panem secalinum.

nunquam non opus habuerit [1]). Aliae caussae hic latent, uti mox videbimus.

4) Inopia rerum ficta s. artificiosa, quae inde oritur, ut ii, qui easdem vendere possint et debeant, ingentissime accumulatas et coëmtas eas retineant, pretii evehendi caussa, — quod ad frumentum maxime, et inprimis nostro tempore pertinet [2]);

5) Inopia certo tempore inde exorta, ut tanta non producatur rerum quantitas, qua emtorum numero et concursui casu tum auctis satisfieri possit; id quod variis rursus e caussis, praecipue casualibus intercedere potest: e. g. si subita et frequens peregrinorum in terram aliquam immigratio facta est [3]), et longior eorum commoratio intercessit, uti e. g. saepe nostro tempore: quo item referre posses

6) inopiam ex luxuria, in usu et consumtione rerum quarundam nunc maxime aucta et amplificata, oriundam. Huius luxuriae varia sunt genera; primum, quod omnino earum rerum maior quantitas sine iusta ratione, moris forsan vel consuetudinis ineptae caussa, consumatur, quam antea; in quo omnino maxime vituperanda sunt nostra tempora; aut deinde quod res quaedam aliis usibus, magis artificiosis, ubi maiori pretio vendi possunt, plus quam antea destinentur; uti e. g. frumentum ad vinum adustum vel cerevisiam, vel corroboramentum linteorum, vel pulverem

[1]) cf. Meusels *Lehrbuch der europ. Statistik*, p. 217.

[2]) cf. *Die Kunst, ohne Miſswachs theure Zeiten zu machen. Leipzig* 1772. 8.

[3]) Sic et tempore nundinarum frequentissimarum in locis, ubi eae habentur, brevior quidem, sed tamen haud exigua rerum reperitur caritas.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/21

verem farinaceum inde praeparandum; denique quod compendium in usu earum bene faciendum plane negligatur, quae luxuriae species e. g. magna adhuc est lignorum caritatis caussa, licet tot de arte lignis parcendi, cogitaverint et scripserint; quae tamen nonnullis in terris plane non curantur.

7) Ea penuria, quam nimia urbium magnarum dilatatio, et populationis earundem nimia augmentatio progignunt. Hic enim propter spem certae venditionis in unum contrahitur, et accumulatur maxima rerum venalium copia, quae non modo in iis ipsis magno pretio venditur, transportationis et importationis sumtibus adhuc elato, — cum propter nimiam hominum multitudinem ibi coacervatam nil minus quam superflua sit, — sed quam praecipue, atque semper in locis ab his urbibus remotioribus magnum defectum, et cum eo magnam caritatem earum procreare oportet.

II. Ad secundarias vero et speciales caritatis caussas pertinent;

1) quaedam vitia, quae committere solet politia, tum universalis, tum praecipue ea, quae quaestum civium, inprimis vero rem rusticam curat; cum nempe

*a*) commerciornm omnis generis omnium, inprimis vero negotiationis frumentariae libertatem vel nimis arctis vinculis claudat, vel nimis amplis terminis extendat: quod utrumque non potest non, copia illarum rerum admodum minuenda, caritatem progignere; cum illic industriae maxime noceatur, hic vero tantum exportari soleat, ut ipsa haec terra, unde exportatio fiat, carere iis tandem debeat incipere.

Huc

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/22

Huc pertinet porro, quod interdum fabricarum rigori et flori nimis favet politia, id vero nonnisi summo cum damno rei rusticae inde oriundo, quae tamen utique multo firmius, fortius, et gravius est salutis publicae et opulentiae civitatis quasi columen. Id enim primum omnium est adcurandum, ut habeant homines in civitatem congressi, unde vivant; et quo magis modico pretio prima vitae alimenta rei rusticae bene cultae ope habere poterint, eo maiorem et uberiorem utilitatem respublica ex reliquis eorum laboribus, non nimio nempe pretio iam ab ipsis aestumatis, capiet; cum, uti iam supra admonuimus, pretium frumenti mediocre, et modica omnium aliarum rerum pretia soleant insequi: quae omnia iam saepius sunt indagata et demonstrata [1]).

*b*) Deinde in eo politiam vituperandam esse recte poterit contendi, quod rei institoriae satis occurrere omittat, caritatem maxime adiuvanti, et nutrienti. Non negaverim quidem, in quibusdam rebus, quae a pauperibus non

[1]) Sic magnae caritatis annonae, quae ex aliquibus annis Angliam vexavit, caussam praecipuam dicunt in eo latere, ut agriculturae minus studeant et faveant Angli, quam fabricarum flori et cultui. Itaque ante aliquod tempus virum rei peritissimum, *den Surveyer von Yorkshire*, palam dixisse legimus in ephemeridibus: „*wir werden so lange hämmern, spinnen und fechten,* „*bis wir kein Brod mehr werden* „*zu essen haben.*" Addere potuisset et: *mästen*, cum sine omni dubio saginatio pecoris, quam Angli nunc nimis artificiosam, et nimis admodum fabricalem tractant, frumenti cultui maxime noceat: partim nimis magna agrorum parte ad pabulum saginarium ibi producendum ipsi subtrahenda; partim nimia ipsius frumenti producti quantitate ad saginandum profundenda.

non aliter, quam minima ex parte, et frequentiſsime emantur, inſtitores non modo non noxios, ſed adeo utiles eſse poſse, cum illi ab his, ad vendendas res ſuas ſaepe coactis, viliori adhuc pretio emere eas poſsint, quam a mercatoribus ditioribus, puſillum et vile hoc commercium ſpernentibus: attamen in omnibus iis rebus, quae ad victum et alimenta prima ipſa pertinent, maxime damnoſam eſse puto rem inſtitoriam, praeſertim taxa mercibus ſ. rebus ab ea divendendis nulla ſcripta. Cum enim augeant emtorum concurſum, nec niſi lucri cauſsa emant inſtitores, utroque modo pretia rerum efferunt. Perniciosiſsimi vero inprimis ſunt, ſi eorum ſunt pauci, nec ipſo ſuo concurſu maiori ſe invicem adigant, ad pretia minuenda [1].

*c*) Porro politiam rei ruſticae inprimis propterea reprehendunt, quod primum patiatur, ut res ruſtica nimis adhuc prematur et coërceatur paſtus, verfacti, decimarum, operarum ruſticarum, et communitatis oneribus, quae diligentiae ruſticorum obſint, et efficiant, ut magna ſoli pars male aut plane non colatur: dein quod patiatur, ut praedia ruſtica maiora coniungantur ſaepe ſub uno eodemque domino vel locatore, quo fieri debeat, ut partim, cura unius hominis ita nimis diffuſa et dilatata, multo minus producatur, quam ſi tale praedium in plures partes minores diviſum eſset, ac quaeque earum a ſingulo viro optime adminiſtraretur: partim ut verendum ſit, ne ab eiuſmodi agricultoribus, quippe plerumque ditiſsimis, nimis magna frumenti quantitas accumuletur et reponatur, uſque dum pretium creverit: cum contra poſseſsores praediorum mino-

[1]) Bene de re inſtitoria ſcripſit Roessig l. c. p. 28. cf. dein Sonnenfels l. c. p. 12.

minorum, tali commercio abstinere paupertate sua coacti frumenta quotannis vendere necessario debeant.

Iam quidem nullo modo assentiendum esse putamus iis, qui praedia maiora et ampliora plane exstirpata, atque cuncta in minora divisa videre cupiunt, sed potius variis e caussis gravissimis arbitramur, opus esse necessario aliquo ampliorum in omni terra praediorum numero: nihilominus tamen concedimus, praedia *nimis lata et ampla*, i. e. ut accuratius nos explicemus, tanta, quae plures, quam quingentos usque ad octingentos agros mensurae saxonicae ruriculturae proprie sic dictae destinatos contineant, flori rei rusticae, atque ita saluti reipublicae non esse accommodatissima atque utilissima: haec potius summo cum iure, et summo cum lucro in minora esse dividenda [1]).

Non ita saepe vero politia edoceri solet, quam noxia sint praedia rustica nimis magna inprimis rusticis proprie dictis; quippe qui, certe quales eos nostris temporibus inveniamus, non possint consuescere, magno negotio, et lati ambitus operi praeesse, infatigabilem gnavitatem et diligentiam adhibere; potius semper fere ad ignaviam et pigritiam soleant esse propensi. In quibusdam tamen terris ideo est praescriptum, ne praedia rustica nimis amplificentur [2]).



[1]) Mensura saxonica agri est 300 perticarum quadratarum, quarum quaeque continet quindecim pedes et duos digitos quadratos. — Convenit cum his et celeberrimi Angli, Arthur Young, sententia, quam apud Thaer l. c. Th. I. pag. 27 et 28. reperies: — nempe populationi et saluti publicae maxime utilia esse, ille ait, praedia, non supra 500 — 1000 agros anglicos (Acres) lata. Ager anglicus vero = 219 pert. quadrat. saxon.

[2]) Videantur de ea re, quae in libro: Weber *von den Wirth-*

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/25

*d*) Deinde in eo multis in terris haud parvam caritatis annonae et aliarum rerum culpam sustinet politia, quod patitur, ut tum viae publicae sint pessimae conditionis, tum omnino deficiant viae et occasiones, quae singulos locos inter se bene et facile coniungant, et secum communicent [1]): quo utroque non modo sumtus transportationis rerum venalium necessario admodum augentur, ita ut nonnisi maiori pretio vendi queant, sed etiam efficitur, ut minor quantitas earum adducatur [2]).

*e*) Porro non raro suscitat politia caritatem, monopoliis et privilegiis singulis hominibus attribuendis, qui pretia summa rebus suis tum scribere solent, et possunt, utcunque velint.

*f*) Non quidem politiam ipsam, sed ipsum regimen — penes quod vero et politia est, saepe etiam recte accuses propriae caritatis culpae propterea, quod nimiis accisae et vectigalium, seu omnino tributorum oneribus productioni, fabricationi vel venditioni ipsarum impositis maxime augeat rerum pretia.

2) Praeter haec vero politiae vitia et aliae sunt caussae secundariae caritatis, eaeque gravissimae. Huc pertinet primum *a*), quod divitiae et opulentia rusticorum, et agricultorum omnino ita creverint, ut non opus habeant, res suas

*schaften der Bauern u. s. w. Leipzig* 1800. 8. p. 285 sq. scripta sunt et in Winckleri *Preisschrift von der willkührlichen Verkleinerung der Bauerngüter, selbst bei gleichmäſsiger Vertheilung der aufliegenden Lasten. Leipzig* 1796. 8.

1) Nempe fluminum et canalium navigabilium ope.

2) Hanc maxime accuso caussam caritatis annonae, quae tam saepe circulum Saxoniae metalliferum premit.

suas modico pretio vendere, ad quod contra paupertas ipsos adigeret; potius ut pretia altiora bene exspectare possint. Cui rei *b*) apud eosdem rusticos aeque accessit, ac in reliquis, quaestum alius generis ullum facientibus, mota tanta *fenoris cupido*, ut alia tempora eam non ita, ac nostra cognoverint. Pretia maxime immodica, quae mercatores vel opifices, vel operarii pro mercibus et laboribus suis petunt, excusant altiore pretio, quod ipsi pro victu, et materia rudi, quam elaborant, solvere cogantur: nullo modo contenti modico, quod quilibet ipsis concesserit, lucro, potius unice intenti, ad opes, quocunque modo possint vel iniuria corradendas, et nihilominus tamen saepe suae luxuriae aviditatem adhuc explendam. Quod quidem, uti et prius (sub a), maxime inter caussas caritatis praesentis numerare nullus dubito, cum persuadere mihi aliter nequeam, quam non existere veram rerum venalium et frumenti inopiam; copiam potius solummodo retineri, et celari opulentiae et fenoris cupidinis venditorum caussa. Deinde *c*) aliqua, nec exigua caritatis rerum quarundam caussa latet in pigritia et ignavia hominum, quo adhuc in laboribus quibusdam perficiendis, versantur: quo fit, ut tum maiores, quam necesse sit, sumtus inaniter impendant, tum minorem modo quantitatem certo tempore producant, et parent.

Denique III. caussis hisce caritatis principalibus et secundariis, plenitudinis caussa, addenda hic est et ea, quam speciosae modo caritatis caussam nominavimus, — nempe pecuniae numeratae in terris circulantis nimia augmentatio: quae quidem nostris inprimis temporibus e bellis per ultima dua decennia gestis, in terris Europaeis, prae-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/27

praecipue germanicis originem suam potissimum traxisse videtur. Semper enim per eam fit, ut pecuniae pretium minuatur, ita ut non amplius eadem laboris vel mercium quantitas possit pro eadem pecuniae summa emi, quae antea; ut igitur pretia rerum, sine omni earum inopia, pari gradu ascendant, ac pretium pecuniae primum descenderit. Inde inprimis fundorum et praediorum omnium vendendorum vel locandorum pretia enormiter solent crescere; inde merces mercenariorum in re rustica et urbana necessariorum crescit; quod ipsum utique, eadem vi, et ad augenda alimentorum, et reliquorum rei rusticae productorum, uti et mercium pretia valere debet. Neque tamen ea *per se* crescunt, quatenus sunt vera rerum pretia, sed modo eo efferuntur, quod pecuniae pretium est imminutum; ergo quatenus sunt nominalia [1], cf. p. 9: unde speciosam hanc caritatem dicimus.

Tot et tantae, tamque diversae igitur sunt caritatis in universum, tum inprimis eius, quae nostra tempora vexat, caussae! An igitur cunctae hae caussae vere valuerint, ad pretia rerum omnium nostra aetate ita evehenda et tollenda? Non quidem negare potui, quamque earum aliquo modo hic valuisse; attamen, uti iam quisque cognoverit, quasdam ex ipsis, tanquam praecipuos caritatis hodiernae fontes, reliquas praeponderare, ita, re accuratius perpensa, equidem libere fateor, me admodum commoveri,

[1]) Quod bene est animadvertendum! Nam in omni caritate vera pretium pecuniae item minuitur, cum pro eadem eius summa amplius emi tum nequeat eadem laboris quantitas; at non minuitur tum per se, copia sua, uti hic in speciosa caritate, sed ob verum rerum pretium penuriae earum caussa auctum.

veri, ut omnium primam et gravissimam nostrae caritatis caussam et nutricem non in vera rerum venalium, praecipue frumenti, magna inopia, (quam nec ubique, nec praecipue in Saxonia vere existere, non possum non mihi persuadere, historia messium, quae minime ita exiguae et mancae ubique fuere, fretus) [1]) sed potius in magna diminutione pretii ipsius pecuniae latere arbitrer, ex nimia eius copia et circulatione, ex nimia ergo civium opulentia exorta. Non enim ita universalis in omnes omnino res ad usus vitae humanae pertinentes in omnibus utique terris irrepsisset, quarum plura genera sine omni dubio copia, et quantitate multo maiore, quam olim, parata reperiuntur [2]); nec per tam longum tempus ea durasset, nec fieri potuisset, ut, nulla eius ratione habita, luxuria earum civium classium, quae inter producentes, et quaestum facientes referri possint, non modo duraverit, sed etiam creverit: quam ipsam vero luxuriam in usu et consumtione rerum

[1]) De *universa* messium historia loquor; — quod bene notandum est, cum nunc in *omnibus* terris frumenti pretia creverint: quamquam non nego, in quibusdam provinciis, vel earum partibus messem frigoris, vel ariditatis vel etiam humoris nimii calamitatibus fuisse minutam.

[2]) Certo multo maior frumenti quantitas produci solet nostris temporibus, quam olim, cum iam non modo tot agri, olim inculti et steriles nunc coli et fertiles esse coeperint, sed etiam rei rusticae cultura sine omni dubio admodum se emendaverit, partim impedimentis eius, licet multum exspectandum et sperandum sit, tamen plus quam olim sublatis, partim veris commodis ei procuratis. Ita et praecipue omnium earum rerum, quae fabricarum, et artium manuariarum ope producuntur, maiorem utique quantitatem habemus; cum illae et numero sint auctae, et quaedam ex ipsis in arte laborandi profecto nunc admodum profecerint.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/29

rerum nostra aetatem conspicuam caritatem re vera haud parum augere, non negaverim.

Quae si recte se habeant, caritas nostrae aetatis, licet, utpote variis modis composita, non esse queat sine omni damno et periculo, tamen, cum maximam partem videatur esse speciosa, non ita perniciosa esse poterit, quam si sit mere vera, i. e. nonnisi verae rerum ipsarum inopiae innixa. Quicunque enim ullo modo inter cives producentes, seu quaestum facientes numerari potest, is per eam non tantam facere posse videtur iacturam, cum et ipse, caritate laboris et rerum omnium e pretii diminutione exorta, etiam pro suis rebus, pro suo labore, maiorem laboris alieni, vel rerum alienarum quantitatem emere, seu comparare sibi possit. Si verum est, opifices frumenta, ligna etc. maiori pretio emere, mercedem laborantium et habitationis maiorem solvere nunc debere, quam olim, aeque verum est, omnia eorum opera et ipsa multo maioris, quam olim esse pretii. Solis igitur iis, qui nihil producunt, sed solummodo inter cives consumentes referri possunt, maxime noxia, et acerba esse poterit caritas; iis ergo, qui munera publica cum salario, nonnisi temporibus, magno pecuniae pretio notatis, aequali et consentaneo, eoque fixo et immutabili administrant; praecipue vero iis, quorum reditus unice in usuris sortium consistunt; quibus eo magis dura est caritas, quo minores etiam solvi nunc soleant propter magnam pecuniae copiam usurae.

Apparet ex his omnibus quam difficile esse debeat politiae, ut optimam et tutissimam viam huic malo medendi, ingrediatur. Quam quidem, uti et remedia, et praesidia omnino omnia, quibus uti hic possit et debeat

poli-

politia, indagandi, explorandi et demonstrandi nunc nobis restat suscipiendus labor.

III.

In qua tamen re nonnisi breves esse poterimus, cum nec instituti ratio, nec finium libello scribendo propositorum angustia permittat, ut librum de eadem conscribamus.

Egregie utique dicta sunt, quae de Berg in libro: *Handbuch des teutschen Policeyrechts*, Th. III. p. 133 sq. de iure politiae circa caritatem annonae aliarumque rerum scripsit. „Non esse eius," dicit, „ut vilia rerum pretia „procurare studeat; cum potius opus solummodo habeat, „ut de caussis et malis, caritatem progignentibus, vel avertendis, vel si hoc fieri nequeat, certe minuendis, et „damnis eius reparandis vel exstinguendis cogitet [1])."

Quodsi enim praeceptis et institutis suis impetraverit, et curaverit, ut non deficiat rerum ad vitam humanam necessariarum vel utilium copia sufficiens, eaque sine omni vi,

[1]) In eo vero assentiri Celeberr. Bergio non possum, quod politiam caritatis magis, vel unice modo adstringat ad mala fortuita, productioni noxia, avertenda, quam ut et ad suscepta atque tentamina hominum, quibus caritatem arte producere cupiunt, disturbanda et praecavenda extendat: quorum, tanquam furtorum clandestinorum, curam potius ei politiae parti tradit, quae securitatem dominii servat. Non nego quidem, sic taxas magis ad hanc, quam ad politiam caritatis pertinere; cum de fraude modo caveant emtoribus, non de inopia; at vero horreorum publicorum institutio, itidem huc pertinens, solummodo politiae caritatis curae tradita est; quae per eam dardanariorum aeque dolis occurrere, ac inopiam physicam tollere studet.



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/31

vi, et molestia, sed optima via collecta et congesta — certo pretia modica non deerunt.

I. Iam primum et gravissimum omnium, quae politia ad avertendam vel minuendam caritatem poterit suscipere et curare, necessario in eo positum esse debebit, ut annonae copiam semper paratam habeat sufficientem. Ex annonae enim inopia omnium rerum caritatem facile enasci, supra diximus. Cui quidem fini nunquam melius, certius, et felicius satisfacere poterit politia, quam *A)* negotiatione frumentaria proprie sic dicta, inprimis exportatione et importatione frumenti prudenter instituenda, dirigenda, et moderanda. Qua de re cum tot, tamque egregii libri sint scripti, suffecerit, ut principia modo maxime generalia hic de eadem proponamus [1]).

1) Pri-

[1]) Praeter Herberti librum p. 3. citatum notandi hic sunt potissimum sequentes: Barkhausen *Briefe über Policey des Kornhandels, Lemgo* 1773. 8. Otto von Münchhausen *der freye Kornhandel als das beste Mittel der Theurung abzuhelfen, Hannover* 1775. 8. Necker *Versuch über den Kornhandel und dessen Gesetze, Dresden* 1777. 8. Inprimis vero, et prae omnibus: *Des Abts* Galiani *Dialogen über die Regierungskunst, vornehmlich in Absicht auf den Getreidehandel, Lemgo* 1777. *gr.* 8. cuius libri excellentissimi nova elaboratio instat; sub tit.: Galiani *Dialogen über den Getreidehandel; aus dem Franz. übersetzt von* J. G. Beicht, 2 *Theile, Glogau* 1802. 8. nec minus: Reimarus, *die Freyheit des Getreidehandels, nach der Natur und Geschichte, Hamburg* 1790. 8. et J. D. Selwig *Ideen und Erfahrungen über freyen Kornhandel und Getreidemagazine, oder zweckmäſsige Anstalten, die Kornpreise zu vermindern, Braunschweig* 1801. 8. denique Norrmann, *die Freyheit des Getreidehandels überhaupt, und im Mehlenburgischen und in Rostock insbesondere, Hamburg* 1802. *gr.* 8. liber utique egregius, occasione tumultus Rostochii ob an-

1) Primum ergo plena et perfecta libertas in vendendo, et emendo, exportando vel importando [1]) frumento omnibus terris non modo saluberrima est, sed maxime necessaria. Etenim nonnisi certae venditionis spe certa, ex hac libertate sola oriunda, excitari poterunt agricolae, ad summam industriam et diligentiam in re rustica tractanda adhibendam; cum contra, libertate hac oppressa, vel nimis restricta, fruges suas pretio qualicumque, vel nimis vili vendere cogantur; atque ita, non ignari, productione earum magis aucta pretium magis adhuc imminui, non curent maiorem earum quantitatem producere, quam quae maxime sit necessaria. Hoc unico enim modo bene sciunt, pretium aliquatenus posse evehi; certe quibusdam temporibus, ubi vel casu adhuc minuatur frumenti copia, e. g. messe tenui et exigua, vel arte, a ditioribus agricolis adhibita, frumento nempe tam diu coacervando et retinendo, usque dum caritas oriatur. Quis enim cogere ditiores possit ad frumenta sua vendenda? Deinde et verum est, quod peritissimus rei vir, Veri [2]), ait: semper nimirum in ter-



nonae caritatem a plebe moti scriptus: quibus addi poterunt adhuc: Frohn *über Kultur, Handel und Preiſse des Getreides in Baiern, und über den Einfluſs der Fruchtpreiſse in die Staatswirthschaft sowohl, als in die Verhältnisse des gemeinen Lebens, verglichen mit den Getreidepreiſsen und ähnlichen Verhältnissen andrer Länder, mit 8 Tabellen, München* 1800. 8. et porro *Berliner Monatsſchrift* 1789. *Oct.* p. 340 f. Krünitz *Encyclop.* Art. *Kornpreis, Band* 34 *und* 35, ubi multa bene congesta reperies.

1) De importatione frumenti nihil dicendum est. Locum ea nunquam habebit ex regula, nisi tum, et ibi, ubi et cum deficiant frumenta; iam eam omnibus modis adiuvandam esse per se patet, nec ullibi dubitatum est.

2) *In seinen Betrachtungen über*

terris, ubi clausa et restricta sint frumenti commercia, reperiri nonnisi paucos negotiatores vel potius monopolas, cum iis occupatos, ita ut, ex omnibus hisce caussis, facile fiat, ut politia, cum caritatem annonae eo, quo diximus, modo evitare cupiat, ipsa caussam ei det maximam. Id quod et exempla omnium terrarum et temporum docuere [1]).

Quam quidem primam regulam, a nobis modo propositam, si omnes semper terrae observare et sequi voluissent, et vellent, forsan quaedam earum sufficientem frumenti copiam sibi ipsae produxissent [2]), *et nullo* non tempore producerent; atque exportatio frumenti ex hac in alteram terram plane non, vel non ita magna opus fuisset, et adhuc esset.

2) Iam vero cum tamen casu fieri possit, ut inopia et caritas frumenti oriatur, norma aliqua constituenda est, ultra quam pretium frumenti crescere non debeat, ut haec libertas, frumenta vendendi, nullis finibus circumscripta stare amplius possit; qua norma vero secundum id, quod urbes et oppida, in quibus mercatus frumenti praecipue instituitur, docent, superata, statim clausa esse debet et vetita frumenti exportatio, usque dum pretium rursus descenderit, ne in ipsa hac terra oriatur inopia et caritas frumen-

*Staatswirthschaft*, *übersetzt von* Schmid, *Dresden* 1774. 8. pag. 58.

1) Assentiunt his Münchhausen, Necker, Reimarus, alii, et Smith l. c. III. p. 165. uti praecipue hic conferendus est Du Paty in libro peregregio: *Lettres sur l'Italie*, *T. I.* p. 16—22.

2) Caeteris modo paribus, *i. e.* fertilitate terrae et productione eius consumtione frumenti in eadem necessaria non nimis superatis.

menti: idque *ita*, ut lege interdictoria singulis vicibus ferenda non opus sit [1]). Quam enim alii ea in re ingressi sunt viam, cum nempe hanc pretii frumentarii normam non in perpetuum et semel, sed singulis modo temporibus caris primum constituerent, et tum subito omnem exportationem interdicerent; ea plerumque haud parum noxia fuit propterea, quod caritatem, quam vitare vellet, magis adeo adduceret, summo nempe inopiae et caritatis imminentis metu inaniter excitando, et negotiatoribus frumentariis ita compellendis, ut frumenta coëmerent, et coëmta, spe caritatis freti, retinerent [2]).

Iam ut aliquatenus definiamus, qualis haec norma esse debeat, exemplum proponamus eius, quam Saxonia electoralis (ubi pretium medium scapili Dresdensis secalis cerealis est duor. thaler.) assumsit; quae nempe pro scapilo tali secalis cerealis Linn. (*Roggen*) 3 thal., tritici 4 thal. hordei 2 thal., avenae 1 thal. constat [3]).

Nescio vero, anne haec norma adhuc paullulum altior esse debeat, praecipue ratione avenae.

3) Negotiatorum frumentariorum, inprimis eorum, qui magna commercia tractant, numerus non modo non minua-

[1]) Reimarus vel hic restrictione hac opus non esse contendit; l. c. p. 25 sq. Smith contra l. c. III. p. 187. utilem eam esse arbitratur, pretio multum elato.

[2]) In quibusdam terris hic in eo etiam maxime erratum est, ut agricolis et negotiatoribus frumentariis tempore caritatis metuendae statim iniungeretur officium indicandi, quantam frumenti quantitatem in horreis suis haberent? quo metus ille admodum auctus est.

[3]) Vid. *Recherches sur divers objets de l'economie politique par M. le Comte* de Brühl, *à Dresde* 1784. 8. p. 108. Shmieders *Policey-Verf.* Th. III. p. 1447.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/35

minuatur, et restringatur, sed, quantum possit, augeatur. Hi enim iis, qui magna frumenti quantitate indigent, viliori forsan pretio eam vendunt, ac agricolae; cum nempe partim et ipsis ab agricolis meliori pretio frumenta emerint, partim vero nimiam frumenti coëmti quantitatem non possint diu retinere, sed ad eam divendendam cogantur metu, ne alias corrumpatur [1]. Iidem etiam porro agriculturae ipsi sunt utilissimi, cum aeque negotio, frumenta singulatim et ad partes minutas vendendi, utique molestissimo agricolas liberent, ac magnam pecuniae summam his statim porrigant, quam emendationi rei rusticae et praediorum suorum impendere possint [2]

4) Contra vero, quod ad venditionem frumenti, quae in partibus minutis fit, attinet, in quibusdam urbibus et oppidis, commode sitis, et omnino huic fini aptis fundandae sunt nundinae hebdomadales, ad quas rustici vicini frumenta sua conferant, atque ubi cives singuli tot scapilos, vel tantam scapili partem emere possint, quot et quanta opus modo habeant, et quantum solvere tum queant. Atque hic iam institorum frumentariorum minorum (qui

bene

[1]) Quo plures eorum sunt, eo magis erunt coacti, ut frumenta sua pretio non nimis alto vendant, tanto plures eorundem autem erunt, quo plenior est negotiationis frumentariae libertas: de quo adhuc plura legas in Genovesi *bürgerl. Oekonomie*, Th. I. p. 314.

[2]) cf. quae pro ipsis optime dixit Smith l. c. III. p. 177. ubi metum, qui multis ab his negotiatoribus frumentariis iniicitur, comparat cum inani spectrorum metu; et porro p. 172. 163. Cui assentit Reimarus l. c. pag. 163. Ibi itaque contendunt hi viri, nunquam per negotiatiores frumentarios ullibi caritatem esse motam; uti experientia satis docuerit.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/36

bene distinguendi sunt a negotiatoribus frumentariis) maximam curam gerere debebit politia accuratissima, ne ii, frumento, quod rustici ad nundinas conferant, in via iam coëmendo, subterfugiant legi, qua ipsis emtione in his nundinis ante certam horam (plerumque undecimam) facienda interdicendum est; neque ita venditores ad pretium augendum commoveant, vel cives, emtores, adigant, ut frumenta haec deinde pretio maiore ab ipsis emant [1]).

*B)* Simulac pretium frumenti ad talem altitudinem ascenderit, quae et libertati exportationis finem imposuerit, (de quo supra) constitutum esse debet, ut itidem non amplius liceat, illud, uti antea, liberrime in conficiendo inde vino adusto, corroboramento linteorum, et pulvere farinaceo capillari consumere; id quod potius sub certis tantum limitibus adhuc concedatur: ita, ut sperandum sit, fore ut pretium frumenti rudis aliquatenus minuatur. Qua tamen in re cavendum est politiae, ne cupidine reditus principis augen-

[1]) cf. de hisce nundinis frumentariis Weber *über die Nachtheile, die die itzige Einrichtung der Fruchtmärkte den producirenden Classen verursacht*, *Heidelberg* 1781. 4. et Andreae, *wie können die öffentlichen Fruchtmärkte auch einem Staate schädlich seyn? Mannheim* 1791. 4. Mirum aliquid, sed certo verum de modo, quo superstitio in frumento a rusticis vendendo sit efficacissima, narratur *im Leipziger Intelligenz-Blatt* de a. 1799. p. 311. Nempe rustici rationem habere solent status pretii, qualis primo die nundinali post spatium quodvis trimestre (*Quatember*) fuerit; ita ut opinentur, pretium hoc ita mansurum esse per totum trimestre. Iam si pretium hoc tum altum est, frumenta retinent, spe freti, idem ita altius adhuc esse adscensurum: si vero exiguum est et vile, frumenta vendunt, metuentes, ne deinde plus adhuc decidat.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/37

augendi se commoveri sinat, ut quibusdam civibus liberam vini adusti etc. praeparationem vel adhuc tanquam privilegium attribuat, sub conditione, ut certam pecuniae summam propterea solvat: — quod utique maxime est vituperandum [1]).

*C)* An utile sit et necessarium, ut politia horrea publica condere, et in iis, tempore vilis pretii, tantam frumenti quantitatem colligere et servare curet, quae necessitatibus civium per unum vel plures annos satisfaciat, et qua, tempore caritatis imminentis vel exortae, viliori pretio divendenda huic malo statim mederi possit, — de eo maxime est concertatum a scriptoribus oeconomiae publicae peritissimis [2]).

Contra

[1]) cf. caeterum de ea re libri lectione digni: Breitenbach *Beantwortung der Frage: ist zu Zeiten der Fruchttheurung das Brandtweinbrennen zu verbieten, oder frey zu lassen? Leipzig* 1800. 8. et Siemens *über die Maxime, durch Einschränkung der Brandtweinbrenner geringere Kornpreise zu bewirken. Braunschw.* 1796. 8. Caeterum omnino frumentis multum parci posset, pomis ad vinum adustum inde praeparandum magis adhibendis.

[2]) Plenum fere scriptorum et libellorum de ea re promulgatorum numerum citatum reperies in libro Roessigii, l. c. p. 115 — 118. nota. Addi vero adhuc poterunt: Scharnweber *fortgesetzte Untersuchung von Anlegung obrigkeitlicher Magazine. Göttingen* 1772. 4. et *Von Getreidemagazinen, von Lebensmitteln, und vom Unterhalt des Volks. Frankfurt* 1771. 8. Rimrod *Vorschlag von Anlegung eines öffentlichen Getreidemagazins. Leipzig* 1772. 8. Marperger *Beschreibung eines in Theurung zu eröffnenden Provianthauses.* 1772. 4. inprimis vero von Berg l. c. III. p. 170 — 173. et Reimarus l. c. pag. 112. Münchhausen l. c. p. 168.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/38

Contra ea dicunt: quod frumenti tanta quantitate pro hisce horreis coëmenda facile caritas annonae ipsa possit progigni, cum ita pretium eius statim sit adscensurum: dein quod conservatio ſrumenti tum ob aedificiorum ad hunc finem exstruendorum amplitudinem, tum ob hominum ad curanda haec frumenta et aedificia instituendorum multitudinem nimis ingentes impensas facere debeat respublica; quod porro facile corrumpatur frumentum in hisce horreis congestum, exsiccatione, humore, et murium et curculionum frumentariorum devorationibus: denique quod omnino fieri plane nequeat, ut tanta et tot horrea exstruantur, quae necessitati totius terrae per unum annum, ne dum per plures annos penitus satisfacere valeant.

Hi ergo potius consilium dant, et probant, plena negotiationis frumentariae libertate semel constituta, satishabere tum agricolarum ipsarum, inprimis eorum, qui magna praedia equestria vel domonialia possideant vel administrent, horreis, certo nunquam plane vacuis, tum negotiatorum frumentariorum, nec libertate commercii sui, nec numero restrictorum granariis: cum sperandum sit, fore, ut utrique, tempore caritatis imminentis vel exortae, potius et libentius in ipsa terra copiam suam, pretio aliquatenus aucto, sint venumdaturi, quam ut eandem magnis cum sumtibus, et magno cum periculi metu exportare conentur: ita ut in eiusmodi terra propter concursum venditorum, nunquam nimia existere queat et soleat caritas [1]).

Quae

1) Vid. et Herbert l. c. p. 24. praecipue in terris, ubi exportatio ad certum pretii statum restricta est. Simulac enim caritas usque ad pretium illud fixum, de quo diximus, p. 36. crevit, statim per se clausa est exportatio: et tum negotiatores etiam frumen-

Quae quidem, ut non negem, omnino recte sese habere, adnotandum tamen esse puto:

1) Summa laude digna, atque imitationi utique commendanda, quae tum in terris Megapolitanis, tum in territorio Erfordtiensi sunt instituta. Hic nempe, ad efficiendum, ne unquam urbibus et oppidis frumentum plane deficiat, a summo regimine, et ab ipsis statibus provincialibus praeceptum est, ut quisque praedii domonialis conductor (cur non vero ita et quilibet praedii equestris possessor?) [1] pro centenis thaleris summae conductionis teneatur, retinere quatuordecim scapilos secalis cerealis, et tres scapilos hordei, quos certo pretio magistratui oppidi ipsi assignandi tradendos habeat certo tempore [2]. Hic itidem praescriptum est cuilibet agricolae, ut a quovis praedii sui agro, frugibus hybernis consito, duas scapili particulas, (quas *Metzen* vocamus) a quaque messe servare, et in promtu habere debeat, quas, politia unquam postulante, ad nundinas Erfordtienses statim conferat, ibique certo pretio vendat [3]. Porro maxime laudandum est, quod in

ta minime coëment; potius ea, quae adhuc habeant, vendere incipient, ne diu ea servare teneantur, quod sine damno nunquam possint.

[1]) Certe minor esse tum posset quantitas a quoque servanda, resque ita multo minus molesta esset.

[2]) cf. *Blätter für Policey-Cultur. Jahrg.* 1801. *Heft IV.* p. 437.

[3]) cf. *National-Zeitung der Deutschen* de a. 1799. no. 51. p. 1097. Nempe *die Metze* ad decem grossos. Minus placuere, quae a Helbachio in Diss. ad societ. scient. Erfordt. missa proposita legimus in *Reichsanzeiger* de anno 1800. no. 39. p. 49. cf. et Breitenbach *wie können Fruchtmagazine auf verschiedene Art angelegt und unterhalten werden.* Leipzig 1800. 8.

in Ducatu Würtembergensi inde a seculo sedecimo ab anno 1583. iam est ordinatum: quo nempe iussi sunt urbium et praefecturarum inspectores, ut in quavis urbe et praefectura servent et reponant certam frumenti quantitatem ex praeceptis Ordin. commun. de a. 1758. cap. II. §. 4. sq. bene accurandam. Hoc [1]) admodum est commendandum et imitandum; et liceat nobis hic adhuc quaedam annotare. Nempe coëmenda erit haec frumenti quantitas, undecunque possit, tempore vilis pretii, et quotannis renovanda: tempore autem, quo pretium crevit, praecipue ad partes exiguas, et praeprimis pauperibus modico pretio erit relinquenda. Quo modo si singulis oppidis et urbibus fuerit prospectum, ex regula hoc sufficiet ad nimiam caritatem evitandam. Isque modus facilis est, nec nimis sumtuosus. Nam in quavis urbe, in quovis oppido erunt loca in aedificiis publicis, ubi asservari possit haecce frumenti quantitas; ubilibet erunt personae, publicis muneribus fungentes, quibus cura eius demandari queat. Res omnis vel rationibus principis vel melius rationibus aerarii publici urbis vel oppidi posset tractari; et cum haec frumenti quantitas, tempore vilis pretii coëmenda, certo si pretium manserit, sine damno, si vero creverit, cum lucro vendi posset, non crediderim, magnam aerario inde metuendam esse posse iacturam. Ita de civium, qui in urbibus et oppidis degunt, necessitate esset provisum, quod utique gravissimum est, cum caritas annonae modo *hic*



[1]) Cf. de aequalibus institutis sunt et hi libri: Fischer *Vorschlag zu Einrichtung eines Getreidehandelscomptoirs.* Neuwied 1790. 8. et *Vorschlag zu einem städtischen Getreidemagazin.* München 1790. 8.

sit perniciosissima. Nam, qui praeter agricolas in pagis degunt, ii vel ipsi aliquam, si vel etiam exiguam, terrae particulam habent, in qua victum et alimenta quaedam sibi producunt; (de iis nempe loquor, qui Cossäthen, s. *Gärtner* vocantur;) vel si et hac sunt destituti, tamen alio modo tantum frumenti sibi comparant, quantum opus habent; sic e. g. ii, quos *Häuſsler* vocamus, frugibus apud dominos praediorum equestrium, vel apud ipsos rusticos pro certa scapili parte terendis; reliqui, mere mercenarii, alio modo; qui tum etiam mercedem suam solent augere et evehere.

2) Vti nulli dubio est obnoxium, reipublicae esse, ut frumenti ad alendos milites, et laboratores metallicos, quippe in ipsius servitio vere constitutos necessarii nullo non tempore plenam et sufficientem copiam servet, ita ipsa et pauperum, cura reipublicae maxime egentium, indigentiae praecipue debebit bene succurrere. Quem in finem nihil magis commendandum est, praecipue omnibus urbibus maioribus, ubi maximus pauperum numerus coacervari solet, quam id, quod Hamburgi ita est institutum. Quotannis nempe copia frumenti, 1500 *Lasten* secalis cerealis continens, a Senatu reponitur, modico pretio undequaque coëmta, quae *ad farinam molita solis pauperibus* modico pretio, et ad partes minutas modo venditur: qua ratione fraudibus institorum optime adversatur politia: de qua re legendus est Reimarus l. c. p. 132.

*D*) Taxas frumento ipsi scribere, penitus reiiciendum et vituperandum est; non vero ita, quod ad panem attinet; de quo mox [1]).

*E*) Vt

[1]) Cf. de eo: *Beurtheilung der Frage: ob es für einen Ackerbau treibenden Staat gerathener sey, einen gesetzlichen Frucht-*

*E*) Vt perſpiciat politia, quomodo copia frumenti parata referatur ad populationis quantitatem, eiusque neceſsitates, opus erit, ut non modo certas populi numerati tabulas habeat, ſed etiam quotannis rationes et tabellas de meſſe omnium frumentorum et frugum vere productarum quaſi referentes ſibi reddi iubeat [1]).

*F*) Solani tuberoſi cultura maxime eſt commendanda, et curanda, cum nihil melius panis locum ſuppleat, ſummo hoc naturae beneficio [2]). Eundem in finem tum tempore caritatis vere exiſtentis, tum omnino omni tempore videat politia, quomodo iuſculo Rumfordtiano utatur ad pauperes, et eos, qui in ergaſtulis et orphanotropheis degunt, ita alendos, ut pani et frumento aliquatenus parcatur.

Haec de annonae caritate avertenda [3]).

II. Non

*preiſs auf ein oder mehr Jahre einzuführen? Götting.* 1771. 8.

[1]) Cf. de Berg l. c. III. pag. 141.

[2]) Cf. ea de re libellus praemio coronatus: Schneider *über die Mittel zur Einführung der Stallfütterung und die Würkungen des häufigen Kartoffelbaues. Leipzig* 1786. 8.

[3]) His hanc notam adhuc addendam eſſe ducimus. Nempe nihil reipublicae magis commendandum erit, quam ut abſtineat a ſempiternis legum et praeceptorum de annona, inprimis de negotiatione frumentaria propoſitorum immutationibus et variationibus; ut potius ſervet ea ſemper, quae bene et prudenter de hiſce rebus conſtituerit et praeceperit. Recte enim utique Necker ait, *ſur le commerce des bléds, livr. III. chap.* 12. *IV. ch.* 6. „*l'intervention frequente du „gouvernement dans le commerce „des bléds, eſt contraire au bien „de l'état, et ne manque jamais „d'entrainer un grand nombre „d'inconveniens*" et cum veritate maxime conſentit, quod apud Smithium l. c. III. p. 163. legimus, cum contendit: „annonae „caritatem nunquam ſummam famis miſeriam procreaſſe, niſi „tum, cum reſpublica mala et

II. Non minus gravia sunt dein et alia, quibus vita humana indiget; inprimis alimenta varia, (e. g. butyrum) et porro ligna, alia. Quorum caritati ut occurratur, non inutile erit:

ut 1) luxuria nimia, quam in consumendis iisdem faciunt homines, sapientibus politiae legibus coërceatur (e. g. de arte lignis parcendi ita ferendis).

2) inopiam earum rerum, praecipue vero ita lignorum, reparare studeat politia usu aliarum locos priorum occupantium magis introducendo et commendando, vel adeo praescribendo; e. g. lithanthracum, turfae, et terrae ligneae bituminosae loco lignorum etc. Priorum ergo stratis ubique indagandis et investigandis operam omnem navet politia.

3) Porro alia remedia sunt haec: ut *a*) vetetur omnis harum rerum exportatio, si pretium iusto nimis creverit; quod hic aliter se habet, quam ratione frumenti: *b*) ut venditio earundem institoribus minoribus erepta [1]) vel ex horreis publicis instituatur, quod omnium optimum est; vel certe manibus negotiatorum maiorum et ditiorum tradatur, vel porro, omni commercio interventitio vetito, iis solis

„falsa semper consilia secuta, „eidem violenter mederi voluerit et tentaverit."

[1]) De re institoria bene disserit Roessig l. c. p. 94—106.

[2]) Sic lignorum venditio in omnibus urbibus ad maximam partem in areis lignariis publica auctoritate tractatur; ita et Berolini exstat horreum publicum, e quo butyrum modico pretio divenditur, ad ingentem quantitatem ibi e Silesia, et alibi coacervatum. Cf. etiam ea, quae in libello: *Deutliche Angabe eines untrüglichen Mittels der gegenwärtigen Theurung der ersten Lebensbedürfnisse, selbst ohne Mitwürkung der Policey, abzuhelfen u. s. w. Wittenberg* 1800. 8. pag. 35 sq.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/44

solis, a quibus producantur, (et qui igitur omnibus modis excitandi et commovendi erunt, ut ad nundinas hebdomadales cum iis veniant) relinquatur, vel denique ratione quarundam rerum, e. g. panis, carnis, cerevisiae etc. ad certam pretii aestumationem fixam adstringatur, et quasi obligetur. Quam quidem aestumationem certo tempore, rationibus rei mutatis, et ipsam mutandam, atque omnino non ita exiguam, ut lucrum plane nullum venditoribus supersit, constituendam, praecipue vero summo cum rigore servandam et exsequendam esse, per se patet [r]).

III. In

proposita leguntur de horreis talibus, vel politiae ope, vel civium ad eum finem associatorum instituto pro ratis partibus (*Actien*) condendis et fundandis.

r) Quid de aestumationibus his omnino habendum et exspectandum sit, exposuit Krünitz *oek. et technol. Encycl. Artik. Brod- und Fleischtaxen*; porro Sonnenfels l. c. p. 51. Optimae eae utique sunt intuitu earum rerum, quarum commercium nec magnum venditorum concursum, nec subitam et frequentem pretii immutationem experitur: et dein profecto laudantur pro pane, cerevisia et carne, (nonne vero et pro mercede famulorum et mercenariorum?) pro quibus etiam eas commendavimus; uti et demonstrarunt Justi in libro: *Policeywissenschaft; herausgegeben von* Joh. Beckmann, p. 219. et libri sequentes: Möller *über Probebäckereien und Brodtaxen. Osnabrück* 1801. 8. Weisser *über die Fleischtaxen; eine Preisschrift. Tübingen* 1788. 8. in quibus et regulas, eas definiendi reperies. At plane vituperanda et reiicienda est talis aestumatio s. taxa ratione omnium rerum, quas ab opificibus, praeter pistores et coctores, accipimus; cum res male confectae, eodem pretio tum solverentur, ac bene fabricatae; porro ratione domiciliorum, et inprimis dein ratione earum rerum, quas peregrini nobis adductas vendunt; cum hic, si sit parva, hos commoveat, ut cum rebus suis abesse incipiant, si vero sit magna, nil iuvet.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/45

III. In omnibus mercium proprie sic dictarum generibus plena et perfecta libertas, eas conficiendi, adducendi, et vendendi plurimum faciet ad caritatem earum evitandam; nempe tum concursu venditorum et copia earum ita maxime augendis, tum industria civium optime et felicissime excitanda [1]).

Addamus his vero et alias rationes et consilia, quibus in universum caritati omnium rerum occurri possit, eaque non minus gravia. Pertinent huc:

1) leges de sumtu et luxuria; quae nonnisi summa cum prudentia sunt ferendae, et praecipue, tum ad cavendum, ne luxuria in universum omnes fines excedat, tum praesertim ad ea luxuriae genera restringendae, quae ex aliis terris sine omni necessitate adducuntur [2]). Ita comparatae utilissimae et saluberrimae erunt hae leges, cum contra, si omnem utique luxuriam exstirpare velint [3]), magis perniciosae esse debeant reipublicae [4]). Etenim non modo ditiores inprimis tangunt, qui per hanc luxuriam, modo sit moderata, sine omni suo damno reipublicae utilissimi

[1]) Caeterum nescio, an fallar, si contendam, non omnium mercium pretium hodie maxime crevisse, potius plures earum nunc viliori pretio emi posse, quam olim; ubi excipio vero pannos, pileos etc.

[2]) Quod prius fieri optime posset tributo quibusdam luxuriae et magnificentiae inprimis generibus nimis noxiis imponendo.

[3]) De utilitate luxuriae cf. *Betrachtungen über die Handlungsgrundsätze der Engländer*, p. 120. Dorn *Bemerkungen über den Luxus, Luxus-Auflagen und deren Gegenstände, vornehmlich politischen und cameralistischen Inhalts. Nürnberg* 1797. 8.

[4]) *J.* Witte *über die Schicklihkeit der Aufwandsgesetze. Leipzig* 1782. 8. *Sammlung der Preisschriften über die Aufwandsgesetze. Basel* 1781. 8.

lissimi sunt, sed ita etiam pretiis rerum diminuendis, opificibus et artificibus vere nocent, qui nempe emtorum numero iam diminuto, vel emtoribus plane deficientibus cogantur, ut negotii et commercii sui quasi ambitum admodum circumscribant et extenuent, vel adeo finem ei imponere debeant [1]).

3) Legibus sapientibus coërcenda et moderanda est foenoris cupido, quae in nostra tempora nimis irrepsit, animorum hominum nimis utique potita: id quod fieri poterit tum aestumationibus quarundam rerum, de quibus *supra diximus*, constituendis, tum restringenda re institoria, tum concursu venditorum, quantum fieri possit, amplificando, tum mercatu earum rerum, quarum pretium foenoris tantummodo cupidine nimis auctum est, publice instituendo, tum monopoliis abrogandis, et denique poena aptissima foeneratoribus scribenda etc. [2]).

4) Curandum est politiae, ut caveat, ne populatio urbium nimis crescat; cum inde exeat praecipue in provincias circumiacentes maior et magis universalis caritas, quam saepe in ipsis urbibus existat; in quibus tamen plurima omnino ingentissimi sunt pretii, uti e. g. domicilia [3]), famulorum mercedes etc.

5) Deni-

[1]) Non laudo propterea leges de epulis, supellectili, vestimentis civium etc. Cf. *Gründe gegen die Nützlichkeit und Nothwendigkeit einer Kleiderordnung fürs weibliche Geschlecht. Berlin* 1799. 8.

[2]) Cf. Fischer von Reiselbach *freymüthige Gedanken über Wucher und Wuchergesetze. Wien* 1791. 8. Porro de Sonnenfels *über Wucher und Wuchergesetze.* 1786. 8.

[2]) Videantur, quae ad eam rem optime dixit Sonnenfels *von der Theurung in den Hauptstädten* p. 5. de collegiis regiminis su-



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/47

5) Denique quod ad remedia attinet, quorum ope ei, quam praecipuam caritatis, nostra tempora vexantis, caussam esse docuimus, — nimiae nempe pecuniae accumulatae et celerrime circulantis copiae non dicam, mederi — quis enim mederi velit bono? — sed quibus eandem, quantum opus sit, ad noxam eius qualemcunque cavendam, — moderari et regere possit politia, — nescio profecto, quaenam eorum optima sint et praestantissima. Copiam hanc minuere, seu circulationem eius impedire quis unquam poterit, sine maxima iniuria, sine magno reipublicae detrimento. Caveat igitur politia solummodo, ne pecunia nimis frequenti et repentino circuitu, quo fieri debeat, ut lucrum verum comparare civibus plane nequeat [1], nimis divulgetur: quod tamen difficillimum utique erit. Videndum vero est, quomodo iis uti possit respublica, quae Roessigius l. c. p. 136 de fundando instituto publico, quod Staatsbanque vocatur, proposuit, quod nempe recipiat superfluam pecuniae copiam, ita tamen, ut usui non plane eam detrahat [2].

Praecipue vero contra hanc caritatis caussam officium incumbit politiae necessarium, ut ministris reipublicae omni-

premis ex urbibus in provincias transferendis, claustris, gymnasiis, fabricis translocandis, et ex illis removendis etc. inprimis et praediorum equestrium possessoribus exhortandis, et commovendis, ut potius in praediis suis, quam in urbibus degant.

1) Nam fit ita, ut eodem fere momento, quo traditum fuerit, rursus eripiatur.

2) Caeterum de circulatione pecuniae habemus librum excellentissimum Büschii Celeb. *vom Geldumlauf, in anhaltender Rücksicht auf Staatswirthschaft und Handlung. 2te verb. Auflage. 2 Bände. Hamburg 1800. gr. 8.*

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/48

omnibus, munera publica cum salario nonnisi pristinorum temporum vilitati consentaneo administrantibus, — succurrat salarii huius additamentis sufficientibus; cum aliter indemnes reddi nequeant, nisi ita, ut et ipsorum labor aeque maioris pretii aestumetur, ac eorum, qui inter cives vere producentes referuntur. Cavebit ita respublica, ne ii ad fraudem et fallaciam necessitate violenter urgente adigantur. Quod vero ad eos attinet, qui nonnisi sortium suarum usuris sustinentur, et omnino, ob harum ipsarum tenuitatem, caritatem praecipue male sentiunt, difficillimum erit ad diiudicandum, quomodo adiuvare hos politia valeat. Perpendant ipsi, quod plane nihil immediate contribuant ad onera reipublicae ferenda, et quod alia tempora fuerint, ubi largissimas usuras sine omni labore et molestia perceperint: atque se commoveri inde sinant, ut vel laborem aliquem suscipiant, vel maiori parsimonia operam dare consuescant, quo damnum suum resarciant.

Forsan et montibus pietatis bene institutis his omnibus succurri poterit [1]); atque aliis eiusmodi adminiculis; e. g. *Leibrenten;* non vero aleis sortium, *Lotterien* vocatis.

Haec igitur est ratio, haec sunt remedia, quibus uti possit politia ad caritatem vel avertendam, vel minuendam, vel damna eius reparanda. Videant viri rei periti, quibus de ipsis hunc in finem, nostris inprimis

 tempo-

[1]) Habemus de his librum utique bonum: Marperger Montes Pietatis, *von Leih-, Assistenz- und Hülfshäusern*, mit *Anmerk. von* J. G. von Justi. *Leipzig und Ulm* 1760. 8.

temporibus, uti poſſint. Caeterum ſperandum eſſe ducimus, fore ut mala, quae caritatem, noſtram aetatem vexantem, ſequuntur, mox per ſe maximam ad partem ceſſare, et feliciter per ſe invicem exaequari, inprimis frumenti pretia altiſſima certe mox minui et deſcendere incipiant: id quod pacis Europae redditae fortunationibus, et meſſium proximarum forſan ditiſſimarum ſpei non incaſſum confidimus.

---

II.

# II.

## QVAE
## FVIT QVONDAM SEPTENTRIONALIBVS IN REGNIS IARLIATVVM RATIO? QVAE IARLORVM ORIGO? QVI HONOR ET DIGNITAS? QVAE IVRA AC MVNERA? QVAE DENIQVE FATA?

Molliter ossa cubent b. Iablonovii!

### I.
### *Antelogium.*

Quod de Iarlorum in antiquis regnis septentrionalibus *origine*, *iuribus*, praecipuisque *fatis*, iterum iterumque quaeritis, IVDICES, illud breviter, at plene tamen expediam. *Breviter* inquam; nam otium mihi ipsi fecistis, dum nihil nisi *testimoniis, fide dignis*, munitum ad iudicium vestrum deferri iubetis: proinde antiquariorum figmentis expungendis, erroribusque castigandis, nisi forte errantium auctoritas aliud suaserit, supersedebo. Et *plene* tamen me rem expediturum spero: casu enim et fortuito non omnes tantum auctores tam *primarii*, uti vocant, quam *secundarii*, qui locum hunc tractarunt, mihi ad manus fuere; sed plures etiam scriptiunculae, quarum memoriam dies

dies delevit, aut quae nunquam ſotre Balticum mare transgressae sunt. In quibus citandis prolixus ac paene prodigus ſui; at in modo citandi, ne libellus in librum excresceret, parcissimus. Ne tamen ista ratio mea obscuritatem pareret, eorum librorum libellorumque, quibus saepius usus sum, omnium *recensum* appendicis loco subiunxi.

Quos ego auctores primarios appello, *Islandi* sunt, islandiceque scripserunt; quorum quidem omnium versiones latinae prostant, sed immane quantum infidae. Ipse Torfaevs, quantus caeteroquin vir! licentisisme παρα- et μεταφραζει, Snorriique sui simplicissimis narrationibus lacinias assuit: itaque ut meae versioni fides, non potui non passim ipsa islandica verba afferre. (*Saxonem* Grammaticum, *Sagas* islandicas praeter Snorrii chronica plerasque, et centonem illum ridiculum, *Eddam* dictum, contemno.)

## II.

### *Varia Iarlorum genera.*

Ante omnia Iarlos in genera sua summatim dispescamus,

*a.* per regna. Sunt Iarli 1. *Anglici*, 2. *Norvegici*, 3. *Suecici:* omnes sibi similes, et tamen diversi. De *Danicis* in tanta antiquioris historiae Danicae paupertate nihil fere habeo dicere, nec Permannvs habuit, nec Ancher p. 38. et 41. *Francicorum* comitum magna cum borealibus Iarlis affinitas est, quam vero tanquam a proposita quaestione alienam non nisi obiter tangam.

*b.* per munia, qualitates, ortum. Habebimus Iarlos 1. *naturales;* 2. *officiales*, ditionum minorum praefectos, provinciarum integrarum praesides, a rege secundos;

3. *Sue-*

3. *Suecicos*, primo marchiones, dein totius regni ministros, a quibus ipse rex secundus, aut potius nihil erat; 4. *principes* regnantes, quanquam aliorum vasallos; 5. *natales* aut hereditarios, mere honorarios, absque officio.

Ceterum ne quis opinetur, *Iarlos* septentrionibus proprios fuisse: solum nomen iis proprium fuit, res, officium, dignitas, non item. *Comitum* nomen Europam late pervasit; his cum iarlis nostris magna, quoad originem, iura et fata, convenientia est. Comitum illorum infiniti fere *gradus* fuere: ne quid de tribus ordinibus dicam, in quos iam *Constantinus* M. (Evseb. in eius vita, IV, 1.) Κομητας suos divisit, occurrunt nobis in medii aevi actis comites *civiles* et *militares*, *officiales feudales titularii*, *maiores* et *minores*, *absoluti palatini subalterni*; apparent comites *archiatrorum*, *scholarum*, *stabuli* etc. (Spelmann sub v. Comes). Iarlorum quoque borealium, etsi non tam multiplex, magna tamen in gradibus varietas deprehendetur.

## III.

### *De dignitatum titulis in genere.*

Habet hicce Iarli titulus id commune cum omnibus dignitatum ac muniorum nominibus, ut, pro diversitate regionum et temporum, significatus ceperit diversissimos; ideoque sequentia universe praemonenda duxi.

*a*. Vt primum homines in societates coierunt, eorum infanda inaequalitas non coepit demum, sed *sentiri* coepit, honosque habitus, quasi quodam instinctu naturae, fortitudini, prudentiae, opibus, aetati: hi mihi Iarli *naturales* sunto.

*b*. Ex quo miseri mortales in maiores greges, aut sponte

sponte, aut vi compulſi, coierunt: tunc fruendae inter cives iustitiae, securitatisque adversus exteros praestandae causa, *reges* orti, cum regibus aulae et *officiales.* Regnum in provincias dispertiri oportuit; et cum omnibus iis rex adesse et praeesse non poterat, officia instituta praecipue duo: delecti nimirum e civibus, quorum alter ius diceret, alter ante aciem ageret, aut ut sermone medii aevi utar, quorum alter *baculum* gereret (insigne comitis *iudicis*), alter *gladium* (insigne comitis *ducis*). At successu temporis ipsa necessitas, aularum fastus, imitatio exterorum, adulandique professores (Ammian. XVII, 10), in haec officia infinitas mutationes invexere: inventa nova nomina, antiquata alia, antiquis novi prorsus significatus dati; commixta munia, ius datum armorum terrore administrandi iustitiam; alia contra divisa etc.

*c.* Nomina, quae a principio mere *appellativa* erant, fiebant *officialia,* dein *titularia* aut honoraria, denique in *hereditaria* desinebant. *Dux, Heretoga, Herzog,* erat, qui exercitum totum aut eius partem ducebat; postea exorti natales duces, qui duxerunt nunquam, nec unquam ducent. *Comes* erat, qui in principis comitatu esset, interioris admissionis homo; comitatus ipsa *aula* erat, post *curtis* dicta. Qui in consortio regis militabant, blandiori vocabulo *commilitiones* dicti; qui in palatio erant, et mox circumvallabant regem, aliosque arcebant, ne partiri cum iis dignitates necesse haberent, iis *comitum* nomen quasi eminenter remansit. Hanc originationem quis in nostris *Comitibus* suspicetur?

*b.* Alia facta adhuc mirabiliora haec dignitatum officiorumque nomina subierunt. 1. Viluere alia, alia multo honora-

honoratiora facta. Franco-Gallorum *Maior-domus*, cum *Maggior-domo* etiamnum (aut certe nuper adhuc) in aulis italicis superstite collatus, eorundemque stabuli comes (*Connetable*), quam hi sibi diversis saeculis dissimiles! — Illustre nostrum *Graf* apud Germanos ad *Deichgräfe*, apud Suiones ad *Kyrko-* quin ad *Stupu*-Grefve (Ihre Gloss. sub v. *Grefve*), depressum est. — Ipsius *regii* nominis quanta vicissitudo fuit! Ante Carolum M. totus orbis aquilonaris, quam late ultra Albim, boream orientemque versus, patuit, ne unum quidem *regem* habuit, quem nos ita dicimus, maiestate quadam, h. e. multitudine civium ac iubendi vi venerabilem. Qui tunc temporis *Cyning* apud Anglo-Saxones, *Kongur* apud Scandianos, *Kniazi* apud Slavos dicebantur, patres familiae erant, Seniores auctoritate quadam inter suos conspicui, piratarum ductores etc. Tales reges in sola Norvegiae parte Trandhemia erant VIII. (Sn. I, 79.), fere ut in antiqnissima Graecia. Saeculo nono demum, quasi conspiratione facta simul in Dania, Suecia, Norvegia, Polonia atque Russia, veri reges exorti, quos a superioribus regulis (*fylkis-heraths-näs*-Konungar), additis nominibus *Einwaldi-* et *Thiod*-Kungar, et *velikii* (magnus) *Kniaz*, distinguere coeperunt. II. Non nomina tantum sed ipsa munia mutata: unius officium translatum in plures, plurium officia non mutato nomine in unum cumulata. Apud Anglos *Heretoga* interdum copiis praefuit, *Eorla* ius dixit; alio tempore Eorla utroque munere functus est, aut duces sub se habuit etc.

*e.* Quamlibet nationem nomina officialia atque honoraria habuisse ex sua cuiusque lingua formata, per se intelligitur. At solemne fuit chronographis et diplomatum fabri-

catoribus, qui inde a saec. VI. usque ad XIV., fere omnes, praeter Anglo-Saxones, Russos atque Islandos, latine scripserunt, ista nomina latine vertere. Iam a novis populorum, regionum dignitatumque nominibus, quorum nullum in antiquis auctoribus classicis exemplum erat, cum sacro quodam horrore refugiebant ridiculi homines, quasi hisce novis vocabulis sermo eorum latinus, sane quam parum latinus, inquinaretur! Itaque populorum nova nomina ad antiqua detorquebant; Danos *Dacos*, Curos (Kurlandos) *Curetes*, Russos *Ruthenos* aut *Roxolanos* appellitabant: dignitatum vero titulis domesticis alios substituebant ab exteris emendicatos, sed nullo certo significatu, nulla discriminis habita ratione. Proinde, ut hoc praecipiam, vana erit disputatio, in Suecia multum agitata, de differentia inter *comites* et *duces*. Spelmann p. 142 universe pronunciat: „ratione multiplicis comitum differentiae, *comitem* „alium *duci* praeponi, alium postponi, alium aequiparari, quod in caussa sit, ut auctoribus mediorum saeculorum „dux et comes confundantur.“ Idem p. 190 exempla affert, Godwinum Anglum ab uno eodemque Annalista, consulem, consulem Angliae, principem West-Saxoniae, ducem rei militaris, atque ab aliis modo comitem, modo ducem appellari. Ita Adamvs Brem. et Saxo Grammat. a Iarli nomine abhorrent, sed vocabulis latinis praefecti, comitis, ducis, promiscue utuntur: Ancher p. 41.

*f.* Addo, unum idemque dignitatis nomen interdum uno eodemque tempore significatus habuisse diversissimos. Quantum distabant Iarli *Norvegici* a *Suecicis* sibi coaetaneis, quantum *dux* Birger II a *ducibus* filiis suis!

IV.

## IV.

### *Patria atque originatio nominis Iarlici.*

*Iarli* nomen apud omnes gentes boreales, et in omnibus earum dialectis, interdum modo leviter inflexum, frequentatum fuit. Anglo-Saxon. *Eorl, Erle;* Angl. *Earl* (quod *Örl* pronunciari audio); Island. *Iarl* (praeposito I analogice, uti pro Eadmund *Iadmund,* pro Eadward *Iatward*, dicunt), aut *Iall;* Dan et Suec. *Iarl.* Ad Cambros quoque Hibernosque (in linguas Kymricam et Galicam) *Iarll* et *Iarla* manavit, haud dubie per Anglos. Apud Suiones fuit quoque viri nomen *proprium*, cuius duo exempla e lapidibus runicis Permann p. 86 eruit; aeque ut *Hersae* nomen Schöning III, 292, Dalin I, 334. Nunc nuspiam amplius Iarli nomen viget, praeterquam in Anglia, verum novo prorsus significatu.

De patria vocis diu disputatum est, fuitque fere communis opinio, eam a Danis ad Anglo-Saxones venisse. Firmabat opinionem Cethelwardvs, ipse Saxo, qui de Normannorum ad Angliam appulsu agens, „undecim *consules*, inquit, ruunt, quos illi [Dani] *Eorla*s solent nominare, et rex eorum unus," Spelmann p. 195. At diu ante Danorum adventum *Eorlae* nomen in Anglia fuisse, probat Ivnivs in *Etymolog. angl.* (Oxonii 1743) sub v. *Earle.* Nam non tantum in Legibus anglicis antea latis obviat; sed quod est praecipuum, in Kaedmonis, poëtae saeculi VI. aut certe VII., paraphrasi poëtica *Geneseos,* Lamech, Iared, Abraham, Aaron, diversis in locis *Eorlae* salutantur. En simul vocis primaevam significationem; illustrem virum atque inter suos principem generatim denotat. *Verelio* teste

apud Permann p. 86, Islandice etiam quilibet inter suos eminens Iarl dicitur. Itaque quod ab initio eminentiam aut dignitatem quamcunque indicabat, sine illa virtuti aut opibus aut generi debebatur, postea titulus officii, dein honoris, quin hereditarius, fiebat: quarum conversionum exempla prostant innumerabilia.

Hunc primaevum atque generalem significatum, pro heroë, viro egregrio, forti (ital. *il bravo*), quem Iarlum *naturalem* nominare ausus sum, diu adhuc postea apud poëtas deprehendisse mihi videor. In hymno Anglo-Saxonico in victoriam *Brandenburgensem* (A. 937) victor rex *Athelstan Eorla-Drihten*, heroum dominus, salutatur: prorsus ut apud Snorr. I, 227. II, 14, regis potentiam celebraturi, eum *Iarla-* aut *Hersa-* aut *Dreingia-Drottin* nominant; et paulo post in eodem hymno victor V *cyningas* (duces) et VII *Eorlas* occidisse, reliquos *Eorlas* in fugam vertisse dicitur: Langebeck II, 413 sqq. Addo Frethonis *Iarlos* in Thiotholfi carmine, Sn. I, 37. Aliaque loca bene multa infra occurrent, ubi *Iarlus* quemlibet virum eminentem, maxime genere illustrem, potentia opibusque florentem, etsi nulli ditioni regundae praefectum, manifesto denotat.

Altius rimari vocis originationem haud lubet. Spelmann a Scandico *ära* (*Ehre*) deducit: Ivnivs l. cit. ab A.-Saxonico *Ealdr*, *Ealdorman* (Senior, *Seigneur*), cum tamen, ut infra patebit, inter *Iarlos* et *Aldermannos* aliqua differentia fuerit. Ihre ad sonum vocabuli accommodatius, illud ex voce cadentis Latii *herilis*, i. e. *domicellus*, regis filius, corruptum autumat: supponit enim, at falso, „Iarli titulum ab origine fuisse honorarium, et iis tantum

conces-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/58

concessum, qui aut *regio stemmate* orti, aut affinitate domui regnatrici annexi, fuissent" (fere ut in Russia *Kniazi* titulus per V fere saecula solis Ruriciano stemmate ortis tributus est). Alias etymologias, interque eas aliquot satis ridiculas apud Loccen. (*antiqq. Sveo-Got.* Vpsal. 1670.), silentio praeterire satius est.

## V.

### *Antiquitas nominis officiique Iarlici.*

Ne quid de *Odini* Iarlis (Edda cap. 3, in fine) dicam, Snorrivs I, 36, Wottum et Fastum memorat, ambo Iarlos *Frothonis* Daniae regis, quem Dalinvs anno 620 post Chr. fabulose assignat. Idem Sn. I, 46, *Ingialdum* Illråde narrat (circa a. 760?), ad cohonestandas exequias patris sui convocasse „reges, *Iarlos*, aliosque viros notabiles (*Kongom oc Iörlom oc authrom mircis mönnom*); tunc enim more receptum fuisse, ut cum mortualia regum *aut Iarlorum* (epter Konga *ethur Iarla*) celebranda forent etc." Idem Sn. I, 55: Halfdanum Hvitben (post a. 780) Vermelandiae a se devictae *Iarlos* suos praefecisse.

Itane Dania, Suecia, Norvegia, iam inde a Saec. VII., *Iarlos* praefectos habuerit? At bene monet Porthan p. 3, suspicari quem posse, Snorrium hic ad ipsam potius, horum praefectorum potestatem, atque honoris eminentiaeque similitudinem, quam ad nomen, animum intendisse; fieri enim saepe solere, ut scriptores, sui temporis moribus obsecuti, munera designent nominibus serius demum iis additis. Res est extra dubium: ipse Sn. II, 234, de *Iarlo* Galliciae, et I, 516, de *Iarlo* Aldeigoborgi, loquitur; at quis unquam in *Hispania Russia*que Iarlos vidit?

Interim

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/59

Interim Iarlorum et nomen et officium in Scandinavia, certe Haraldo comato antiquiora fuiſse, probat nomen *Iarls-ö*, Iarli insula sub Halfdani Albipedis filio, Sn. I, 57; probat *Atle Iarl* sub Haraldi patre, Schöning II, 55; probat *Ömundus Iarl*, Haraldo coaevus, sed ei non subiectus, Sn. I, 138, 635; probabit historiola *Hrollangi* mox afferenda. Et in *Anglia* Iarlos iam ante Alfredum fuiſse, infra demonstrabitur.

Ex his simul consequitur, non a Danis aut Norvegis ad Anglos, neque ab his ad illos fluxiſse *Iarli* nomen, sed ab ultima origine in omnium horum populorum ὁμογλωττων linguis fuiſse domesticum. Contra *Ihre* et *Suhm* apud Ancher. p. 39.

## VI.

### *Iarli Norvegici.*

Nullibi Iarlorum frequentior distinctiorque memoria est, quam in *Norvegia;* nullibi *certior*, quippe Snorrii, auctoris inde a rebus saeculi IX. fide dignissimi, testimoniis nixa. Iuvat eius loca classica, commentatore haud egentia, ordine chronologico exscribere: subiungentur Torfaei additamenta, et quantum ex *iure aulico Norvegico* extricari poterit.

I. Sn. I, 77. *Haraldus* comatus rex [exeunte Saec. IX. aut medio?] has leges statuit, ut ubique in regionibus a se devictis, bona allodialia omnia sua eſsent, omnesque coloni (*böndur*), tam divites quam non divites, ipsa tributa (*landskyllder*) penderent, singulis provinciis (*fylki*) Iarlum praefecit, qui ius diceret, mulctas quoque ac tributa colligeret, ita quidem, ut Iarlus *tertiam* redituum tributorumque

que partem pro suis alimentis impensisque haberet. Quilibet Iarlus habeat sub se VI aut plures *Hersas*, quibus singulis XX marcarum summa in alimoniam concederetur. Quilibet Iarlus habeat regi LX bellatores (*hermanna*), Hersa vero XX, ad pugnam paratos. Tantopere autem R. Haraldus censum et tributa auxerat, ut Iarli eius maiores ditiones (*riki*) tenerent, quam reges ante habuerant. Eius rei fama cum in Trandhemiam venisset, multi viri *potentes (rikis merin*, male vertunt *divites*, conf. hispanicum *ricos hombres)* ad regem commearunt, eiusque homines (Iarli *vasalli*) facti sunt.

II. Sn. I, 79. Naumadaliae rex *Hrollang* ipse se a regio throno suo pronum deiicit in eam sedem, ubi *Iarli* eius sedere solebant, *Iarli*que nomen ipse assumsit. Postea ad Haraldum regem profectus, ei totum regnum suum tradit, remque omnem enarrat. Tum rex *gladio* eum cinxit, *clypeum*que de collo eius suspendit, suum Iarlum *proclamat*, in *altiore sella* considere iubet, Naumadalensem ei ditionem (*fylki*) dat, eiusque *Iarlum* ipsum constituit.

III. Sn. I, 112. *Haraldus* comatus quinquagenarius erat; filii eius multum adoleverant, aliqui morte decesserant. Illi in regno multa insolenter agebant, inter se quoque discordes: regios Iarlos ex ditionibus suis fugabant, alios necabant. Tunc rex conventum generalem indicit.... ibi *regium* nomen imponit filiis suis, sancitque legem, ut omnes suo stemmate orti regnum a patre haberent, at Iarlatum (*Iarldöme*), qui ex stirpis suae femellis essent prognati . . . Filiorum suorum cuique ex assignatis ditionibus *(fylki) dimidiam* partem redituum dat, altera parte sibi serva-

servata: statuit quoque, ut in *throno* sederent prae Iarlis *eminentiore*, suo tamen throno uno gradu depressiore.

IV. Sn. I, 207. *Hakon* 13 annis integris Iarlus fuit in ea Trandhemiae parte, quam hereditate acceperat, antequam Haraldus Gråfeld in bello caderet [circa a. 962] . . . Post p. 262. *Hakon* Iarl imperabat omni Norvegiae usque ad oras maritimas, iam XVI ditionum dominus. Ex quo enim Haraldus comatus sanxerat, ut suus cuique ditioni *Iarlus* praeesset, hic mos diu servatus est. (In causas, cur hic *Iarlus* rebellis, vere *rex*, regis nomen non usurparit, inquirit Schöning III, 290 sqq. Fabellam apud eundem, ex ſragmento quodam apocrypho haustam, de Hakonis istius proavo, circa a. 410, si diis placet, sponte sese in Iarlorum *scamnum* provolvente, hic repetere pudet. Nec maiorem fidem meretur, quod Bring I, 373, ex *Fundin Norregur* de Godbrando II., Godbrandsdaliae regulo, narrat, qui regio titulo deposito *Iarli* nomen assumserit, „quo omnium Iarlorum potentissimus esset.“ Nec id, quod Schöning I, 420, de Godbrando III. habet, qui *Iarli* titulo reiecto *Hersam* se vocari maluerit.)

V. Sn. II, 111 sqq. *Hakon* (circa a. 1053.) pacem offert R. Haraldo Härdråde ea lege, ut sibi cognatam suam *Ragnhild*, R. Magni filiam, uxorem det. Negat puella se plebeio (*bonde*, *utyginn mann*) iungi velle; rogat igitur Hakon, ut rex ipsi *tignar namn* sive Iarli dignitatem conferat, quo titulo ipse ob generis claritatem virtutesque haud indignus esset. Respondit rex: „Olaus frater meus eiusque filius Magnus, regno potiti, non nisi *unum Iarlum* constituerunt; ita ego quoque feci, ex quo tempore rex sum, neque *Ormo* Iarlo id nobile nomen (*tign*), quod

ipsi

ipsi dedi, eripiam. (Ita quoque Torf. III, 303.) Post mortem Ormi tamen *Hakon* e Dania redux utraque spe potitus est, Iarlatumque *(Iarldom)* eadem potestate, uti Ormus habuerat, accepit: Gebhardi 131.

VI. Torf. III, 209. *Einar* (caesus a. 1052) non contentus minore ditione, quam ei R. Knutus dederat, indigne ferebat, variis se promissis elusum, speque *totius Norvegiae, comitis* titulo vice regis administrandae, lactatum.

VII. Sn. II, 2. 8. Torf. III, 241. R. *Magnus* Bonus (a. 1043.), cui Dania quoque obtigerat, ante discessum in Norvegiam, in frequenti consessu, „*Suenum* Vlfi filium (ipsa regis verba sunt) exemplo *Knuti* Magni, qui patrem Sueni *Vlfum*, dum absens in Anglia erat, *totius Daniae* rectorem *Iarli* titulo creavit, ego quoque *Iarlum administratorem*que *totius Daniae*, dum aliis districtus negotiis praesens ibi esse nequeo, instituo." Ad haec Einar: *of Iarl, of Iarl, Fostri* (nimius Iarl, alumne)! Excanduit rex, atque Einaro regessit: „videor vobis pauca recte provisurus; alii vero Iarli nimii, alii ne inter viros quidem aestimandi." (Ita Torf. vertit, aliter Peringskjöld.) Tunc exsurgens rex *gladium* baltheo Sueni, *clypeum* humero alligans, *galea*que capiti imposita, *Iarli* nomen potestatemque in Daniam (*Danavelldi*) ipsi concessit, cum iisdem *reditibus*, quos pater eius Vlf sub Knuto M habuit. Dein allatus S. Olai Sarcophagus . . . cui Suen manus imponens, fidelitatis *iuramentum* praestitit hac formula: se fidem regi seruaturum, eius regnum ex omni parte aucturum, ex nulla diminuturum, et quoad ambo viverent, regi sine exceptione subiectionem praestiturum. Mox in *solium* a rege deductus, iuxta eum collocatur Iarlus. (Quam male ces-

serit regi Magno haec supremi Iarli creatio, quam misere Iarli pater quoque, *Vlf*, interierit, huc non pertinet.)

VIII. Torf. IV, 128. Rex *Inge* paulo ante obitum (circa a. 1227?) *Skulium* fratrem in sede regia collocatum, *Iarli*que titulo insignitum, aulae militiaeque praefecit. — Idem p. 208. R. *Hakon* in frequentibus comitiis socerum *Skulium* honoribus donisque magnificis auxit, *Iarli*que nomen in *Ducis* titulum mutavit, „nulli prius (addit Torfaevs) in Norvegia usurpatum, nisi *Guttormo*, Haraldi comati avunculo; in hoc autem officii tantum, utpote ducis militiae, non dignitatis, nomen fuit." Idem p. 209. Ita regnum inter eos tunc erat divisum, ut Dux *tertiam* provinciarum omnium partem teneret, quam etiam per proprios praefectos *(Iarlos)* administravit. (Idem ille dux Snorrivm nostrum chronographum, a. 1240, antequam hic in Islandiam reverteret, *Iarli* titulo ornavit (p. 211), quo titulo tamen, tanquam libertati patriae suae inimico, is nunquam usus est. *Skulius* caesus est a. 1255.)

IX. Hirdskraa, i. e. *Ius aulicum Norvegicum:* novum opus, cui ipse editor in praefatione annum 1303 assignat; et in ipso opere p. 428 et 487, anni 1264 et 1270 citantur. (Gebhardi magnus error est p. 111, in anno 1019 margini apposito.) Multa sunt in eo intelligibilia, versioque barbaro-latina danicae versioni, utraque textui antiquo, innumeris in locis contradicit. Sufficiat, sequentia inde extricasse.

p. 24. Rex si eligendus sit, actutum Dux *(Hertuga)* si fuerit, aut *Iarlus*, Episcopi et Abbates omnes, Barones omnes et aulici *(Hirdstiorum)*, Nidrosiam ad Archi-Episcopum confluant . . .

p. 57. Ducis Iarlique idem *iuramentum* erat. „Ego Sacris his (*Scrinio* S. Olai etc.) manum impono, Deoque causam meam commendo, me Domino meo Norvegiae regi clam et aperte fidelem futurum, et praefecturam (*Län*), quam curae meae demandavit, ea qua par est fide administraturum, eaque cautione iisque conditionibus, quae inter nos transacta sunt, eademque obedientia et obsequio, quod R. Magnus inter Regem ac Duces *Iarlos*ve sanxit et constituit. Omnem observantiam, quam boni Duces vel Iarli bono regi debent, ipsi praestabo, eumque atque eius regnum totis viribus consiliisque meis corroborabo. Denique iuramenta omnia, quibus rex sese incolis devinxit, inviolata servabo, Deo mihi intelligentiam largiente. Ita mihi Deus sit propitius, si vera dico, at iratus, si mentiar. (Editor affert alia Iarlorum *iuramenta*, sed huic consimilia.)

p. 83. *Creatio* Iarlorum. „Iarli nomen Norvegiae reges triplici modo contulerunt. I. Dederunt illud filiis suis legitimis (id certe de Haraldo falsum est, supra p. 56), interdum quoque fratribus legitimis, aut proximis affinibus; iisque bona ac reditus regni pro placito suo talibusque conditionibus, prout ipsis libuit, assignarunt. Non tamen debebat illa praefectura *hereditaria* esse (*i erfd ganga*), etsi quidam hoc ius sibi arrogarunt; at Iarlatus (*Iarldomur*) hereditarios non fuisse, multa exempla probant. II. Nuspiam in regno *certae* partes ad Iarlatus constitutae sunt; verum semper reges eas partes, quas voluere, iis assignarunt, v. c. in Vigia, saepius in Vplandia etc. Saepe etiam, quod alicui erogarant, iterum ad se receperunt, aut aliam partem Iarlo dederunt. Nuspiam quoque certa

Iarlorum *sedes*, aut certae possessiones, aut bona Iarlis propria fuere; sed quid et quantum et quibus conditionibus habeant, id omne a regis arbitrio pendet. III. Bene meritis rex interdum bona dat ex patria hereditate, interdum . . . (haerent interpretes). IV. Saepius *nullus* Iarlus in Norvegia fuit, idque populo, cui magistratuum multitudo haud raro oneri est, percommodum accidit (ita mihi obscurus locus vertendus esse videtur).

p. 91. Aliis *ritibus* inaugurantur Iarli, quos rex in insulas suas tributarias, tanquam ad *Orcades* atque in *Islandiam* (quae a. 1261 demum primum Iarlum admisit) mittit: his alia verborum formula, quae regi virisque sapientibus placeat, praescribenda.

p. 106. Iarlus iter aut equo aut remis confecturus, *vexillum* (*merki*, σημειον) ante se habeat, nisi rex praesens sit. Itineris comites sibi nunquam plures quam sex (in corporis custodiam) adiungat. Consilia Iarlatui suo salutaria agitet, legi vero conformia, non contraria . . . Nunquam ibit e regno, nisi praescio et consentiente rege. Foedus ne ineat cum ullo, inter quem ac regem lis est. Belli tempore adiuvet regem cum omnibus copiis suis in omnibus necessitatibus, vicissim eum quoque rex adiuvabit. Pacis tempore rex et Iarlus eorumque homines ita se inter sese gerent, ac si *una societas* essent. (Sequitur iudicium Iarli in causa feloniae, multaque alia, *feudalis* praecipue iuris studiosis pergrata futura, si quando huic centoni, in quo V saeculorum res diversissimae commiscentur, interpres Resenio Dolmeroque doctior continget.)

X. Torf. IV, 430, constitutionem *Hakonis*, quocum familia adhuc regnatrix desiit, de anno 1308, integram exhi-

exhibet, quae magnam rerum conversionem in Norvegiam induxit: en ipsa eius verba. „*Iarli* seu comitis, Lendzmanni seu satrapae, titulos publice *abrogamus* in posterum; solis hi *regum filiis* et comiti *Orcadensi* remanebunt. Qui vero iam satraparum honore ornati sunt, iis eandem dignitatem et existimationem quoad vivant concedimus.“ (Sequuntur novorum praefectorum nova officia atque iura, multaque alia valde memorabilia, sed a vestra quaestione aliena.)

Habetis hic, IVDICES, *Norvegicorum* Iarlorum paene completam historiam. Fuere sub Haraldo Iarli *ordinarii*, singularum ditionum praefecti (p. 56. IV.). Secuti sunt Iarli *supremi*, totius regni administratores (p. 56 sq. V. VI. VII.), insipiente quidem consilio, ut eventus docuit, at libere tamen a regibus instituti, non ut in Suecia per solam regum imbecillitatem provocati. Habetis *iura*, *honores*, *reditus*, inaugurandi *ritus*, denique *finem* horum Iarlorum, quorum clarissimos bene multos nominatim recenset editor *iuris aul. Norveg.* p. 104, 427, 432 sq.

## VII.

### *Eorlae Anglici.*

Iam ante *Alfredum* (Spelmann 143, Sprengel *hist. Angl.* 144) Anglia fuit in *Shires* (comitatus, consulatus, ducatus; omnibus hisce nominibus chartae latine scriptae utuntur promiscue) divisa, at forte mutabiles (ut in Norvegia n. 33, 111.): rex ille primus cuique comitatui certos ac perpetuos limites assignasse videtur, quos tamen Danos iterum confudisse, Spelmannvs 144 suspicatur. Non latos hos

hos comitatus fuisse, eorum multitudo docet: in sola Anglia 52 tales pagi cum Valicis etiamnum numerantur.

Iam ante Bedam (ante a. 700), cum in Britannia, tum in Hibernia, comites fuere. Asser non primus est, qui a. 860 et 862 *comitum* Hamtunensium et Gainorum meminit, eosque nunc *comites*, nunc *belli duces* nominat. „Habentur, Spelmann inquit p. 141, et multo antiquius inter testes chartae *Athelbaldi* regis a. 716, *comes* Lincoln. et Leicestriae etc.; sed fluctuans adhuc appellatio, nec recepta passim ab auctoribus nostris: in libro enim fundationis Wigorniensis ecclesiae, plurimae istius saeculi habentur chartae, multis testibus insignitae, qui se *regum, regulorum, subregulorum, principum, ducum, ministrorum regiorum*, titulo denotarunt, nec tamen inter omnes unus, qui se *comitem* appellaverit.“

Ante *Alfredum* hi *Eorlae* nimia potentia gavisi et abusi videntur, quam vero magnus ille rex, sapientissimo consilio praetexens, „ut nimio eos onere levaret,“ ita fregit, dum rei bellicae administrationem non omnem, nec nisi belli tempore, iis permisit, ius summi iudicii ademit, et quod mirationem facit, „ut sapientiae studiis vacarent, insuetamque disciplinam laboriose discerent,“ iniunxit, ex Assero Spelmann 141.

Mansit tamen *Eorlae* munus valde egregium ac nobile. Provinciae suae negotia tractare debebat apud regem, eius mandata distribuere, maioris momenti negotia in comitatu suo cum *Episcopo* peragere, cui cohibere errantem Eorlam, quin in eum animadvertere licebat, Spelmann 140. In Senatu regio adesse iubebatur, atque referre, quae de nova lege ferenda, de bello gerendo cet., cum

civi-

civibus suis egerat. Praesidebat comitiis comitivis, quibus Episcopi, Vice-Comites (quos ipse legebat, non rex), Centenarii cet., intererant. Iudicatis apud Vice-Comitem licebat appellare Comitem: in caussis maioribus (homicidio, latrocinio, raptu mulierum) ab ipso comite appellatio ad regem dabatur.

Quanquam iuris dicendi et belli administrandi munia separata essent, ingruente tamen bello *Eorlae* summi militum provincialium praefecti constituebantur, at non nisi novo ac speciali regis iussu; tuncque reliqui praefecti militares, *Heretogae* (*Herzoge*) dicti, iis obedire iussi.

„Eorlae creati de *tertio* denario, Camdenvs ait, remque per loca ex antiquis libris congesta clarius explicat: „consuetudinaliter per totam Angliam mos antiquus inoleverat, comites provinciarum *tertium* denarium sibi obtinere . . . Comes est, qui *tertiam* portionem eorum, quae de placitis proveniunt, in quolibet comitatu percipit." (Cf. *Capitul.* Hludovici Imp. ad L. Sal. cap. 1, compositionis ob falsum testimonium . . . *tertia* pars comitis est). Pergit anonymus Anglus, non omnes ista percipere, sed hos tantum, quibus regum munificentia ea conferenda decernat, quibusdam hereditarie, quibusdam personaliter. Serius exempla sunt Eorlarum, qui provincialium redituum *dimidiam* partem sibi obtinebant: regi *Vilhelmo* Conquestori Oxonia 20 libras et 6 sextarios mellis dedit, comiti 10 libras. Et duravit mos, Spelmanno teste, „ut cum iam comitivae gradus ei quoque conferretur, cui in comitatu illo nihil possessionis erat, rex tamen ex suis ipsius reditibus annui quidpiam census, puta 20 librarum, cum ipso titulo concesserit." — Ad comites *feudales*, non antiquos illos, pertinet, quod

*Mathil*

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/69

*Mathildis* Imperatrix „fecit Milonem comitem de Hereford, et dedit ei motam Hereford cum toto *castello* in feudo et hereditate sibi et heredibus suis ad tenendum de se (Mathilde) et heredibus suis; dedit ei etiam *tertium* denarium reditus burgi Hereford, quicquid unquam reddat, et *tertium* denarium placitorum totius comitatus Herefordе, Spelm. 142. Fuit itaque tempus in Anglia, ubi comites etiam *castra* tenebant: vetuit hoc Parlamentum sub *Richardo II.* a. 1390 castraque ipsa uti capita comitatuum nunquam a corona regia deinceps segreganda decrevit, ibid.

Ritus creandi Eorlas antiquior fuit, *festucae* traditio tanquam potestatis nota (unde mos iurandi per festucam Eorlae); deinde cinctura *gladii* seu ensis traditio. *Vilhelmus I.* Hugoni Lupo, primo Cestriae comiti, „dedit hunc comitatum tenendum sibi et heredibus ita libere ad *gladium*, sicut rex tenebat Angliam ad coronam.“ *Eduardus IV.* comitem fecit de Rivers „per cincturam *gladii*, habendum sibi et heredibus masculis.“ Ita etiamnum nostrae aetatis *Earli*, quanquam ab antiquis diversissimi, investiuntur.

A principio hic, ut ubique, comitatus *hereditarii* non erant; pro lubitu rex iis, quemcunque et quamdiu vellet, praefecit (inde *Ex*-Comes, *Ex*-Consul, *Ex*-Quaestor, apud Gregor. Turon. aliosque). Tamen hic quoque, ut fere ubique, consuetudo inualuit, mortui comitis munus filio, si quis iustae aetatis aderat, seruandi. Iam sub *Eduardo* Confessore Sivardi consulatus (i. e. comitatus) ideo tantum, quia filius eius adhuc parvulus erat, alius consulis filio datus esse dicitur. Interdum discerpta munia: a. 1053 Godwini *ducatus* eius filio, *comitatus* alius

comi-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/70

comitis filio indultus, Spelmann 141. Secus se res habuit, postea quam *Vilhelmus* R. Normannus comitatus *feudi* iure contulit: nunc demum exorti comites feudales, patrimoniales; nunc *Eorlatus* de iure ad posteros transmissi. — Interea tamen *emti* comitatus exemplum unum a. 119 reperio: emtor erat Episcopus, nihilo tamen minus in inauguratione *gladio* cinctus, sed a rege derisus, Spelm. l. cit.

Quae hucusque de iuribus officiisque Eorlarum attuli, ea Permann p. 65 — 78 ex Camdeni *Britannia*, Seldeno de *honoribus* etc., et Spelmanni *Glossario* et *Alfredi vita*, diligenter appositisque ipsis auctorum verbis exscripsit, quae denuo exscribere e libris, qui in multorum manibus sunt, piget. Addam tantum (ut iam supra passim feci) ex Spelmanni *Gloss.* loca quaedam a Permanno praetervisa, at dignitatem Eorlarum, qua ipsos Aldermannos atque Duces olim antecedebant, apprime illustrantia. p. 195. *Athelstan* (circa a. 941) *Eorlam* Archiepiscopo, Aldermannum Episcopo, comparat. Walafridus Strabo Archiepiscopos regibus aequiparat, Metropolitas ducibus, additque, „quod *comites* vel praefecti in saeculo, hoc Episcopi ceteri in ecclesia explent.“ — In antiquis legibus Archiepiscopi et *Eorlae* capitis aestimatio eadem est, nempe 15000 thrimsae, Episcopi vero et Ealdermanni tantum 8000. In Knuti legibus Eorlae *hereotum* (vid. Spelm.) 8 equi, 4 galeae, loricae etc., at Thani regii primarii non nisi 4 equi, 2 galeae etc. — In *Eduardi* Confess. legibus, post Ealdermanni et Grevii officia explicata, sequuntur *Heretogae*. In quolibet comitatu unus erat *Heretoch*, qui per singulos comitatus in pleno omnium consessu (*Folkmote*, non a rege; ita quoque apud Boios et Francos, Spelm. 189,

ita Lagmanni apud Suecos, Bring II, 316) eligebantur. — In *Henrici I.* legibus gradus ita recitantur: interſint Episcopi, *Comites* et Vice-Comites, Heretochii, Trithengrevii, Ledgrevii cet. (*Heretoga* igitur apud Anglos non *dux* totius exercitus, sed *ductor* tantum partis eius quanquam insignis erat. Ita „Merciorum rex XXX legionibus totidemque nobiliſsimis *ducibus* instructus fuit.“ Tales fere apud Langobardos Francosque *urbium duces*, non quibus postea XII comites suberant. Apud Sn. I, 251, quoque *Heretogi* Iarlis subsunt). Post Normannorum ingressum *ducis* nomen diu latuit, donec a. 1336 illustrius coepit reviviscere et hereditarium fieri, cum R. *Eduardus IV.* filium suum primogenitum Cornubiae *ducem* declaravit.

Scotiae quoque regnum boreale est. Hic supremus honor *Thanorum* fuit, quos posterior aetas *Stewartos* nuncupavit. *Thani* nomen etiam apud Anglos fuit, uti apud Danos sub Knuto M. (*Cragii ius feudale*, Gloss. pag. 51), cuius officium, apud *Scotos* certe, idem quod *Eorlae* apud Anglos, fuiſse videtur: at *comitis* nomen sero intravit, imitatione exterorum. „R. *Milcolumbus* primus a nonnullis creditur *nova* et peregrina nomina introduxiſse, quibus honorum gradus distinguuntur, a *vicinis* accepta, nec minus barbara quam erant priora, duces, marchiones, comites, barones, equites cet.“ Buchanan. *Rer. Scot.* L. VII, p. 212. Primus Scotiae comes factus *Macduffus*, Fifae Thanus: comitatus ei non datus, sed tria privilegia, ut posteri eius regem coronandum in cathedra collocarent, ut in regio exercitu primae aciei praeeſsent, ut ob caedem non praemeditatam hominis *nobilis* 24 marcas argenti, ob *plebeii* 12, solverent. Regum quoque filii natu minores

*comi-*

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/72

*comites* certae provinciae declarati, sed honorarii tantum, non officiales. Permann p. 79 — 81. Spelmann sub v. Thanus.

## VIII.

## *Iarli Suecici.*

Nuspiam *Iarli* nomen et officium in tantum *honoris* fastigium evasit, quam in Suecia: fas mihi igitur erit, de his longius disserere, atque eo forte de Sueonum historia bene mereri. At nuspiam tam rara, tam manca, tam *incerta* Iarlorum memoria est, quam apud Sueones: horum enim domestica historiae suae monumenta, ante Saec. XIV, in quo Iarlorum et dignitas et ipsum nomen dudum evanuerat, aut nulla, aut eo nomine indigna frustilla esse, inter omnes constat. Nihilo tamen minus, quod mirere, qui omnium *laboriosissime* locum de Iarlis tractarunt, Suecici scriptores sunt. Verum hi faciunt hic quoque, quod in omnibus antiquitatis suae obscurae partibus facere olim consueverant: cum domi nihil reperiunt, mendicant ab exteris, praecipue ab Islandis; ad Norvegorum instituta quasi plane sua provocant; Eddam, Sagas, chronica sua rhythmica (*Chroniken in Knittel-Versen*), tanquam auctores graves citant; et quod neque ex omnibus his extundi potest, audacter *coniectura* supplent. Quasi non honestius sit, fateri quid nescias, quam fingere aut figmentis assentiri!

Ne cui duriter haec ac iniuste dicta videantur, IV auctorum, qui in patriae suae historiae facile principatum tenuere, loca praemittam. I. Dalin I, 334, *Ifvarem* Vidfadmi narrat, circa a. 780 (100 igitur annis ante Haraldum

Norvegum, p. 55), *Iarlos Hersas*que in Suecia instituisse, quos regulis ab Ingialdo crudeliter excisis substituerit. Ficta omnia! II. Idem non tantum, sed Bring adeo, I, 373, auctor caeteroquin Dalino multo κριτικωτερος, antiquam Sueonum nobilitatem ante Equites, *Iarlis* atque *Hersis* constitisse asseuerat, idque saepius inculcat. Atqui *Hersarum* ne nomen quidem (videte impudens figmentum, a Bringio II, 301, derisum), multo minus officium, in Suecia apparet; de *Iarlis*, an unquam corpus quoddam nobilitatis effecerint, mox videbimus. III. Ihre, vir summus, in *Glossar*. Iarli titulum ab initio solis regio stemmate ortis concessum fuisse (p. 53), ex improbabili vocis Iarli etymologia contendit; principibus iuventutis illum proprium fuisse, ex *chronico rhythm.* (Saec. XIV. demum incepto) probat, ubi Olai S. filius Magnus Iarl salutatur; citatque dein *Hirdskraa* Norvegicum (p. 58). IV. Botin II, 168—174, magnus coniector in primis, regem *Ericum* victoriosum († 994) fingit, abolito more pristino, regnum ope regum simultaneorum (*Med-Regenter*, et hi quoque ficti sunt!) administrandi, consilium cepisse, Iarlum Dvcem, sive primarium reipubl. gerendae administrum, creandi, sibique adiungendi; cui hypothesi nunc longam seriem XXIV talium Iarlorum Dvcvm annectit. Botinum presse sequitur aut exscripsit potius Vggla. Nos veriora quaeramus, gratique Porthanvm consulamus, qui primus hoc in genere dubitare ausus est, ac mere ficta patienter credere, id vero est errare, desiit.

Ante omnia cum Porthano pono, *Iarli* nomen non semper *officiale* fuisse, sed mansisse diu, ut ab initio fuerat (p. 52), *honorarium*, virumque denotasse genere nobilem,

lem, prosapia illustrem, florentem opibus; ac propter ea auctoritate inter cives suos et in aula regia pollentem. At Iarli quoque vere *officiales* apud Sueones fuere, iique duplicis generis longe diversissimi. Vnum eorum genus Iarlos *praefectos*, specialius *marchiones* appellabo; alterum *palatinos*, *supremos* (non *Duces*, quia id nomen ambiguum est; Porthan eos *tertii ordinis* Iarlos nominat, *alii Riks-Iarlar*). De utroque genere sigillatim agamus.

### *A.* Iarli *praefecti*, *Marchiones*.

Tales nobis Snorrivs tres, aut ad summum quinque, commemorat. I. *Rane* Goticus (*Hrane Gautski*), quem *Ericks* Emundi Sueciae rex, Haraldi comati coaetaneus, ei ditioni, quae nunc *Bahusiensis* dicitur, at a praefecto diu nomen *Rana*-rike conservavit, Iarli nomine praefecit, Sn. I, 87, Dolin I, 428. Sequitur II. *Ottar* Iarl, qui (sub *Erico* victorioso?) itidem Gotiae praefuit, Sn. 231. III. *Rognwald* Vlfi Iarl, a consobrino suo R. *Olao* Skötkonung (circa a. 1020) itidem Gotiae praefectus, Sn. I, 351, 393. Reliqua loca omnia aut dubia sunt, aut palam non officialem titulum, sed mere honorarium, indicant.

Cum in Norvegorum rebus *Iarlorum* omnia plena sint, summa eorum apud Sueones raritas mirationem facere possit. Accedit, quod Porthan p. 5 dubitet, an ullum exemplum sit Iarlorum *plurium* eodem tempore constitutorum, ac *diversis* regni Suecici provinciis praefectorum. Quin in *legibus* quoque antiquis Suecicis, Iarlorum aut nulla aut levissima vestigia sunt. Attamen regnum iam tum satis latum in portiones dividi oportuit, et cuilibet ditioni praesidem dari: at hi praesides non *Iarli* dicti, sed *Höfdin-*

*giar*

*giar* (inde ab a. 1588 *Landshöfdingar*, uti etiamnum), *Landowärnsmän*, *Stiornarmän*, *Landsherrar*, *Länsmadar*, Bring II, 394, Stjernman oratio de *statu litterarum in Suecia* etc., Suecice impressa Holmiae 1758, p. 81.

Iam *tres* illi, aut ad summum *quinque* Iarli supra citati, quod iam Porthan acute observavit, omnes in *Gotia* fuere, a regni sede remotiore provincia, praeterea dubiae possessionis solo, ideoque Danorum ac Norvegorum invasionibus exposito; nullius autem *Tiandiae*, *Sudermanniae* cet. Iarli mentio usquam fit. Vnde probabiliter coniicit Porthan, Iarlorum nomine in Suecia primo ornatos solos *limitanearum* regni provinciarum praesides, illas contra hostium irruptionem defensuros; interiores contra regiones non visas amplissimo aliquo tali duce, praeter regem, opus habere. (Folkungorum quoque gentem in Gotia natam, hicque infinitae suae potentiae fundamenta iecisse, obiter tantum addo.)

Quae si ita sunt, quidni hoc Iarlorum genus, Haraldianis ordinariis multo illustrius, *Marchiones* vocem? Eorum seriem inde a Rano haud interruptam in Gotia fuisse, non apparet: videntur tantum in necessitatis casu, imminente bello, instituti esse. Tunc maiore potestate instrui debebant, quam reliqui Höfdingii, at quanam? quibus iuribus? quo modo inaugurati? haec omnia ignoramus. Id unum narrat Bring I, 376, Gotiam regi LX marcas soluisse, quarum XX Iarlo cessissent. En iterum *tertiam* redituum partem Iarlo assignatam.

Alios igitur *Iarlos* praefectos, praeter hos *Marchiones*, Sueciam non habuisse statuo. Et tamen idem Bring

l. cit.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/76

l. cit. et multo diffusius Botin II, 169, iura et officia et inaugurandi ritus eorum, enumerant; verum instituta mere Norvegica sibi lepide attribuunt. Locum, quem Botin l. cit. ex *Legum Vplandicarum* Sect. XIII citat, in ea editione, quam prae me habeo, et quae IX tantum sectiones continet, non reperio. Et si leges hae a. 1295 demum recognitae ac publicatae fuerunt: quid in iis de Iarlis quaeras, quorum nomen adeo tunc erat intermortuum?

*B.* Iarli *palatini, supremi, Riks-Iarlar.*

Venio ad *alterum* Iarlorum Suecicorum genus multo magis controversum, quos *palatinos* (quidni *Magnos Visiros, Maiores domus?*) appellare libet; non unius provinciae sub rege, sed totius regni, paene supra regem, administros. Tales quondam in Suecia aliquamdiu fuisse, extra dubium est: verum disputatur, quando et quomodo orti sint, quando desierint? utrum a regibus libera voluntate, ut in Norvegia, constituti, an vi intrusi? quae iura habuerint, saltim usurparint? quot fuerint, quo nomine usi, an haud interrupta serie sibi successerint?

Graviter hic erravit Botin, dum hos Iarlos ab *Erico* victorioso (p. 49. IV.) solemniter constitutos esse, atque inde usque ad *Birgeri* II mortem (ab a. circiter 960 - 1266) haud interrupte perdurasse, asseverat. Raro solet dari subditorum alicui tanta potestas, regibus invidiosa ac formidabilis: non sponte ac legitime constituuntur, sed infelicis lolii instar succrescunt eiusmodi magnates (*Aristocratas* eos nuper Franco-Galli nominabant, iisque diras imprecabantur), qui sub regibus aut minorennibus aut imbecillibus, imperii ius inuadunt, crescunt occulto velut arbor aevo,

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/77

aevo, quando familiarum quarundam opes, audacia, atque callida consilia invalescunt.

His erroribus suis velificaturus Botin II, 171 — 173 catalogum XXIV Iarlorum palatinorum instruxit; at in quo non Iarlos tantum singularum provinciarum praesides cum totius regni gubernatoribus commiscet, sed plures adeo catalogo suo infarcit, qui ne Iarli quidem uspiam nominantur. Videtur summa obscuritate, quae in historia Suecica, inde ab Emundi Erici morte usque ad Erici S. necem regnat, tanquam aliqua fingendi opportunitate usus esse.

Ego quidem si quem Iarlum non vocari tantum, sed eminere quoque auctoritate, reperio, is mihi non idcirco *Iarlus* officio *palatinus* erit; nec is, quem qui latine scripsere, non amplius *comitem*, sed *Ducem* vertunt: nam in Suecia quoque ut alibi horum titulorum usus semper promiscuus mansit. Contra ea ex actis publicis Saeculorum XII. et XIII. expiscabor eos, qui suo tempore inter Potentes *praepotentes* fuere, quorum notae mihi hae videntur, si quis, distincte ab aliis magnatibus, *dux* in Singulari, aut *dux Sueciae* appellatur, et iuxta regem ponitur; si actus vere maiestaticos ipse, aut solus, aut cum rege, exercet; si *Pontifices* ipsi romani illum litteris appellant.

Vt ab hac ultima nota incipiam, loca bullarum aliorumque actorum publicorum, ex Celséi *Apparatu* operose congesta, ordine chronologico annumerabo. Quid ex iis deduci queat, postea videbimus.

*a.* Cels. p. 16. [Papae *Agapeti* bullam de a. 954, „regibus *principibus* et *ducibus* gloriosis, nec non universis aliis aquilonaria regna habitantibus" inscriptam, tanquam manifeste fictam praetereo].

*b.* p. 33. P. *Anastasius* IV. a. 1153 „dilectis in Christo filiis, *Suerkero* regi et universis *proceribus* Suethiae.“

*c.* p. 35. P. *Alexander* III a. 1160 „regibus, *principibus* et aliis Christi fidelibus per regna Sueonum, Gotorum, Danorum . . . constitutis.“

*d.* p. 36. *Petrus* Abbas Cellensis a . . . regi Suecorum et *ducibus* et *principibus* et eorundem Archiepiscopo.“

*e.* p. 37. P. *Alexander* III post a. 1160. Litterae ad Colonem Lingacopensem Episcopum: „relatum esse Papae, Stenarum quendam, Lingacopensem Episcopum . . . dignitatem in manum Archiepiscopi . . . et regalia coram rege [*Carolo* I] et *primatibus* regni, libere . . . resignasse; Clerum et populum eiusdem loci, de assensu praedictorum Archi-Episcopi et regis atque *ducis terrae* . . . Colonem elegisse. (Cf. Örnhjelm p. 535 et 537. En hic *ducem terrae*, ut *nobiles terrae* apud Örnhjelm p. 560. Sub *terra* Ihre Diss. p. 3 solam Ost-Gotiam, Folkungorum patriam, intelligit. Floruerunt eo tempore *Guttorm* et *Vlf* duces, de quibus posthac.)

*f.* p. 38. *Idem* circa idem tempus, ante a. 1162, „carissimo in Christo filio K. [*Carolo*], illustri Sueonum et Gothorum regi, et . . . Episcopis et . . . nobili viro *duci*, universoque Clero et populo per Gothiam constitutis.“

*g.* p. 38. *Idem* Papa post a. 1163, precibus et interventu *Caroli* regis Suecorum et Gothorum, Episcoporum quoque, et *Vlphi ducis* regni illius“ . . . [pallium novo Archi-Episcopo Vpsaliensi indulgetur. En *primum* ducem nominatim. Idem tamen *Vlf* sub Carolo rege et Stephano Archi-Episcopo, subscripsit conventionis cuiusdam testis:

*Vlf comes,* aut potius ab ipso Archi-Episcopo hic tantum COMES vocatur, Örnhj. p. 559.

*h.* p. 41. *Idem* circa a. 1164 „Vpsalensi Archi-Episcopo [*Stephano*] et Suffraganeis eius, et *Gutormo duci* Sueorum . . . [hortatur eos, regem non appellat, ut Fennorum munitiones occupent].

*i.* p. 46. *Knutus* rex in litteris a. 1199: „testes sunt ex parte mea *Byrgerus* [*Brosa*] *dux* Sueorum, Kanutus frater eius, Kanutus frater reginae, Hollingerus nepos meus... [Sunt duo alia huius *Knuti* R. diplomata apud ÖRNHJ. 561 et 562, ubi testes nominantur, in uno *B. dux,* in altero *Byrgo,* Sueorum et Gottorum *dux* inclitus ... Magnus et Carolus frater *ducis*].

*k.* p. 57. P. *Honorius* III a. 1220 „illustri regi Su. [*Johanni*] . . . tu et *principes* et *magnates* tui" [non *dux*].

*l.* p. 61. *Idem* a. 1225, uno die „*Erico* illustri R. Sueciae," altero „*duci* et *magnatibus* Sueciae." [Scribit de clericis ad saeculare iudicium non protrahendis].

*m.* p. 63. P. *Gregorius* IX a. 1231: „fratribus hospitalis Ierosolymitani in Dacia . . . ecclesia b. Eskilli . . . quam Vpsaliensis Archiepiscopus de assensu carissimi in Chr. filii K. [*Knuti*] regis illustris, et nobilis viri B. [*Birgeri Brosae,* † a. 1202] *ducis* Sueciae, qui ius patronatus in eadem ecclesia dicitur habere, suis litteris confirmavit . . . nec non ea, quae ab eodem *duce* proponitis, vos adeptos."

*n.* p. 72. Sub P. *Innocentio* IV, a. 1248, habitum concilium *Skenningense,* cui, ut aiebat Cardinalis *Vilhelmus*, interfuit etiam *dux Birgerus, per quem tota ista terra fere et totaliter regitur.* Add. BOTIN. II, 121.

*o.* p. 72.

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/80

*o.* p. 72. A. 1248 litterae *Erici* R. et *Birgeri ducis*, decimas constituentes.

*p.* p. 74. P. *Innocentius* IV a. 1250 confirmat institutam ab *Erico* Balbo R. et *Birgero Iarlo* scholam Vpsalensem.

*q.* p. 75. *Idem* a. 1252 „ad intercessionem *Voldemari* R. et Benedicti [lege *Birgeri*, Bring II, 395] *ducis* Suecorum," dispensat in quarto consanguinitatis gradu.

*r.* p. 76. P. *Alexander* IV, a. 1255. „annuit petitioni *ducis* Sueonum, confirmando divisionem devoluti ad sedem apost. regni *Suetici* [!] inter Birgeri filios.

*s.* p. 77. *Idem* a. 1255, *Mechtildi*, Daniae regis viduae moniali, licentiam dat, *Birgero* Sueonum *duci* nubendi [quod postea a. 1264 P. *Vrbanus* IV vehementer improbavit, p. 81].

*t.* p. 77. *Idem* a. 1258: „carissimo in Chr. filio K. [lege *W.aldemaro*], illustri regi Suetiae, et dilecto filio, nobili viro *B.* [*irgero*] comiti" [commendat iis, colere Archiepiscopum].

*u.* p. 79. *Eiusdem* duae bullae a. 1259 uno die scriptae de fabrica Vpsalensi: una ill. regi Sv. [*Valdemaro*], altera" dilecto filio nobili viro *duci Suetiae* [*Birgero*].

*x.* p. 86. P. *Gregorius* X a. 1274, „nobilibus viris, *duci*, *Legiferis*, *Procuratoribus* aliisque *nobilibus* per regnum Sueciae constitutis," vetat testamenta ecclesiis facta improbare.

*y.* p. 88. *Idem* a. 1279, soli „regi Sueciae illustri [*Magno* Ladul.]. (De pondere Trecensi, *Troyes-Gewicht*, de mercatoribus camerae papalis, *Hof-Banquiers*, aliisque, quae in hac bulla occurrunt, sunt illa valde memora-

 bilia,

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/81

bilia, at hic aliena. Dudum iam cessarat ducis (*Iarli*) in Suecia nomen et mentio; ridiculus ergo error scribae est, qui bullam . .

*z.* p. 134. P. *Gregorii* XI, a. 1373, „dilectis filiis, nobilibus viris, *duci,* Legiferis, Procuratoribus aliisque nobilibus per regnum Su. etc." inscripsit, antiqua inscriptionis formula post 99 annos serviliter usus in ea bulla, quae iussa superioris de a. 1274 repetebat).

Nunc demum ad Botini totius regni Iarlos XXIV (p. 72) redeo, ut ostendam, quot ex eius recensu eliminandi sint, quam pauci remaneant: sed hic mihi Porthani p. 8—17 diligentia multa praecepit.

I. *Ottarum* et III. Ragnvaldum (p. 69) *Gothiae* praefuisse, aut huius provinciae limitaneae Iarlos fuisse, Snorrivs ait, non *totius* regni. II. *Vlf,* IV. *Valgautus*, huiusque filius V. *Tovi,* nusquam, ne sub nomine quidem Iarlorum, apparent. Duo posteriores Snorrio *ättstorr madr,* prosapia illustres, audiunt, nusquam *Iarli.* Est quidam *Vlf* Iarl apud Sn., sed Danus: est dux *Tuph* apud Adam. Brem. (*hist. eccles.* III, 12), sed nulla nota insignis, quae eum Suecum, multo minus Sueciae ducem, indigitet. VI. *Stenkillum, Emundi* R. privignum (et hoc quoque dubium), antequam rex fieret, vitrici Iarlum fuisse, sola *Hervorae hist.* cap. 19 (*var* fyrst *Iall i Suithiod*) fide, at quam intuta! nititur. Aut si fuit *Iarl,* fuit sine dubio solorum Vest-Gotorum (p. 70), quos „prae omnibus aliis suis civibus amasse" dicitur. VII. *Hakoni* Iarlo Stenkillus R. in Vermelandia *feudum* concessit, Sn. Itane is Stenkilli totiusque regni Iarlus fuit? VIII. *Kettilum,* Iarlum ditionis Kind in Ost-Gotia et IX. *Vginum* eadem aucto-

ritate

ritate in Sudermannia floruisse, si concedatur: quid inde, Porthan p. 13 ait, ad rei summam proficietur?

X. *Folko grossus*, primus ille prosapiae suae inlustrator circa a. 1086, filiae Knuti S. Daniae regis maritus, in vetere aliquo frustillo „*vir inter omnes Suecos nobilissimus*“ dicitur: iam quid inde? (Versio huius elogii, quam Porthanvs e *chron. rhythm.* citat, „*Folke Iarl var en erlig man, Rijksens Förman tha var han*,“ nescio an non ad alium Folkonem multo iuniorem pertineat, Bring II, 336.) Hoc addo Porthano, vere illum Fulkonem clarissimum, cuius posteri „*viri potentes in regno, longam post se restim amicorum et familiarium trahebant* (verba sunt Erici Olai), munere aliquo in patria functum esse; sed *Lagmanni*, non Iarli munere: ita enim expressa nominatur in donatione quadam, quam auctor Diss. de origine gentis Folkungicae (in *Svenska Vitterhets-Acad. Handlingar*, Vol. I, 1755) produxit. XI. *Sune* vir opulentus atque potens tantum Snorrio dicitur. XII. *Knut*, Folkonis filius, ne nomen quidem Iarli uspiam habet. XIII. *Karl*, Sunii filius, a Snorrio Iarl, i. e. vir princeps, dicitur opulentus in *Gotia* opumque avidus; tamen apud Langebek. loco mox citando reperio: *Karolus*, frater domini Vlff, quondam *dux* Sueciae. Mittamus igitur hos XIII Iarlos regni aut palam nullos, aut valde dubios. At

XIV. *Guttormus*, et XV. *Vlfo*, Sunii filius, post diram necem *Erici* sancti a. 1160, sub P. *Alexandro* III, inter annos 1161 — 1164, primi inter reliquos regni magnates eminuisse cernuntur, cuius rei fama in cancellariam adeo romanam pervasit. Praeter regem atque episcopos Papa *ducem* (non ut olim duces, proceres etc.) alloquitur, p. 73,

p. 73, f: idemque Papa, forte a. 1163, *Vlphi ducis regni* meminit, et paullo post „*Guttormo duci Sueorum* et Archiepiscopo," nulla regis mentione facta, scribit, p. 74, g, h. Gvttormi, hominis alioqui parum noti, iustam fere biographiam commenti sunt auctores, praecipue Botin: 1. ducem eum fuisse R. *Erici* Fenniam expugnantis praecipuum, aliamque postea 2. expeditionem in Estlandiam suscepisse, narrat. At utrumque non modo dubium, sed aperte fictum esse, probarunt Bring II, 185, 202, et Porthan in doctissimo commentario in indoctum valde *chronicon Episcoporum Fennicorum* (Aboae 1799. 4.) p. 55 sqq. 3. *Sorae* in Dania sepultum esse. Sunt nimirum apud Langebek. IV, 554, „*nomina* Illustrium in templo *Sorano*, supra picta ibi vetera *insignia* scripta," interque ea nomina „Dominus *Gotormus* pater Helene, uxoris Esperni Snari ultime" apparet. At dubitare audet Porthan, an hic Soranus *Gutorm* idem sit, qui noster Suecicus. Ne quid de eo dicam, non omnes, quorum nomina et arma in templorum muris depicta deprehenduntur, ibi etiam sepultos esse. 4. *Sigillo* eius incisum fuisse: „*Gothormus dei gratia dux Suecorum*." Testem non citat Botin, aut potius citare eum puduit: testis enim sigilli diobolaris est — *Peringskjöld*, Bring II, 219. „Vlfvm *regni ducem*" ipse Papa p. 73, g, appellat, eundem tamen eodemque tempore ipse Archiepiscopus *Stephanus* non nisi *comitem* salutat, *ibid.* Nondum fixa in Scandia erat inter *comitem ducem*que distinctio: inter nomina Illustrium apud Langebek. l. cit. *Gerardus dux de Svartzburg* est. — Ceterum, fuerintne hi duo magnates, Vlf et Guttorm, *simul*, an sibi successerint, non expedio.



Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/84

Tacent nunc bullae papales, saltem quotquot adhuc editae sunt, ab a. 1165 — 1224, de *uno* Sueciae duce, p. 74, k. Interim a Botino in scenam producuntur XVI. *Ragvald*, R. Magni frater, a Snorrio honoris causa *Iarl* nominatus, et XVII. *Bengt* Snyffel, quem a. 1130 — 1140 Iarlum in *Ost-Gotia* fuisse, nescio qua fide, dicunt. Incerta omnia usque ad diuturnum, at inquietissimum *Knuti* imperium a. 1167 — 1199. Sub hoc rege, Erici S. filio, Folkungi genero, duorum Folkungorum socero, potentia *gentis Folkungicae*, quae iam per centum amplius annos opibus floruerat, in immensum crescere coepit, eius regis ac sequentium auctoritate inter aeternas turbas fere ad nihilum redacta. Ab hoc tempore obsedere *Folkungi* thronum Sueciae per 80 annos, donec ipsi in illum ascenderunt. Nunc demum ex iis singuli, et quidem ut videtur haud interrupta serie, prodeunt, quos iure *Iarlos supremos* (*Riks-Iarlar*) nominare possis, regnique totius veros gubernatores; en eorum nomina successionemque ex Botini recensu:

XVIII. *Birger* I *Brosa*, atavis editus regibus, Norvegi regis gener, Suecicorum regum socer et avus, fuit. De eo *chronicon* vetustum: „*A.* 1202 *obiit Birgerus Dux primus Sueciae*,“ et aliud a *Celsio* editum: „*MCCII obiit Byrgerus Gambli* (priscus) *Dux Sweorum*, Bring II, 220 sq. Hunc ipse rex *Knut* quater ducem salutat, semel adeo „*inclytum* Sueorum et Gotorum *ducem*“ nominant, p. 74, n; eius assensus cum assensu regis coniungitur, *ibid.* m; hunc sub R. *Knuto* eiusque successore *Sverkero* vere in communionem regiminis venisse, Bring l. cit. inde quoque ingeniose coniicit, quod in chronicis supra memoratis huius

huius Birgeri annus *emortualis* notatus fuerit, at regum quasi minus notabilium obitus non item. Pergit Botin:

XIX. *Folke* Benedicti, XX. *Sune*, prioris filius, XXI. *Carolus Surdus*, Birgeri Brosae frater, XXII. *Folke* III. Horum omnium in administratione regni haud exigua, et inter ipsos consanguineos suos eminens potestas fuisse videtur, at multo maior aut certior saltem duorum ultimorum, *Vlfi* et *Birgeri* II.

XXIII. *Vlfum* Fasi, sub *Erico* Balbo, corpore animoque imbecilli rege (regnare visus est ab a. 1222 — 1250), regni habenas tenuisse, testatur *Chron. reg. Norveg.* p. 37 his verbis: „Tunc Sueciae rex erat *Ericus* Erici, . . . oc *Grefve* [ita *Iarlum* Danus vertit] *Vlff* Karlson *hafde mest Regiment ofuer Suerrige met Kongeriget.*“ (Tamen idem *Chronicon* paulo post alium quoque, *Magnum* Byrgeson Manskjold, tunc magna auctoritate polluisse refert, „*hafde da stor anseelse oc megit Raad i Suerrige*“) Huius „*Vlffonis Ducis*“ annum emortualem 1248 etiam notavit *Chronicon* Celsii. Hic est ille „*W.* [lff] *dei gratia dux Suevorum*,“ qui a. 1244 *suo nomine* praepositurae per Thiundiam duos denarios contulit, Bring II, 695, coll. p. 395. Hic est idem ille, qui *suo nomine* clero privilegia consignavit, Ihre *Diss.* p. 3, fide *Erici* Olai.

XXIV. „*A.* 1248 [post obitum Vlfi ducis] *Dominus Byrgerus factus fuit dux*,“ *Chron.* Celsii ait. Est hic *Birger* II Magni fil. *af Bjälbo*, *Iarl* eminenter dictus, Iarlorum potentissimus idemque ultimus. Quantus ille vir iam sub *Erico* Balbo fuerit, probat Cardinalis *Vilhelmus* in concilio Skenningensi, qui „per eum totum regnum fere totaliter regi“ pronunciavit, p. 74; n. Sed habeo adhuc alium

alium locum classicum, eius rei testem, apud Torf. IV, 262, de anno 1250. „*Gunnar*, regis Hakonis Norvegici legatus, cum *Birgerum* denuo ad conventum reducere tentaret, hic vero id fieri posse negaret propterea, quod R. *Ericus* Suecus iam dum in Ost-Gotiam abiisset, *Gunnar* obvertit: ex *omnium* confessione *summam* imperii penes Birgerum *comitem* esse, eum quippe *simul et regis et comitis* vicem gerere.“ Idem *Chron. reg. Norveg.* p. 742 danice: „at *Grefven* hafde *alting* at raade udi Landsens Regimente paa Kongen vegne, oc at hand var *baade Konge oc Grefve* ofver Landet.“ Talis cum esset, coniunctim cum rege suo decimas constituit, scholamque Vpsaliensem fundat, p. 75, o. p. — At quod eum inter annos 1252—1259, Papae p. ead. q—u, *ducem* Sueonum (semel tamen p. cit. t, *comitem*) salutant, eumque aut iuxta regem ponunt, aut sigillatim litteris appellant, minus debet mirationem facere. Nam tunc rex erat *Valdemar*, minorennis adhuc, eiusque tutor Birger pater legitime constitutus. — Hocce *Iarli* titulo Birger, quanquam in summo potentiae gradu positus, semper contentus mansit, etsi qui latine scribebant, magnamque iam tum apud exteros usitatam differentiam inter *comites* atque *duces* norant, eum semper *Ducem* nominabant. Dalin II, 184, Birgero nostro titulum Suecicum ducis, *Härtig*, a senatu Ordinibusque regni a. 1262 solemniter esse collatum narrat tunc, cum priore uxore R. *Erici* sorore mortua, *Mechtilden*, R. *Abelis* Dani viduam, domum ducere vellet: at hanc *Messenii* vanam coniecturam esse, aperuit Bring II, 493. Nam in Legibus Ost-Goticis non tantum, sed ab ipso nepote suo R. *Birgero*, ut et in *Chron. rhythm.* (ubi tamen aliis nomen

*Härtig* tribuitur), nunquam *Härtig*, semper *Birger Iarl*, appellatur.

Iuvat nunc omnia hucusque dicta in unum contrahere.

I. Fuisse quondam et aliquamdiu in Sueciae regno magnates totius regni administros et fere arbitros, *Iarlos* dictos, quis est qui dubitet? At fuisse hoc quasi munus quoddam, istis magnatibus libere solemniterque demandatum, idque officium per tria fere saecula, longamque XXIV talium Iarlorum haud interruptam seriem, perdurasse, novum Botini commentum est. Primi XIV *Guttorm* et XV *Vlf* post a. 1160, praecipua quadam auctoritate polluisse videntur; sed sequuntur periodi 20 aut plurium annorum, ubi nulli tales praepotentes apparent: donec inde a *Birgero* Brosa, ante a. 1200, semper unus e *Folkungis* vicem regum gessit. Itaque ex Botini XXIV *Riks-Iarlar*, non nisi VII aut IX, per 90 circiter annos regum domini, supererunt.

II. Hi vero suntne libere a regibus instituti, an mera vi se intruserunt? Credo dari tertium: per naturam rei, ut ita dicam, orti sunt, dura necessitas eos genuit. Miseri reges, continuis factionibus tanquam furiis exagitati, cum regiam suam potestatem non modo labefactatam, sed prorsus intutam, cernerent, se suaque omnia illi familiae, cui praevaluisse contra reliquas contigerat, aut uni ex illa, permiserunt, qui eos a reliquorum iniuria tutos praestaret. Solent plerumque in regnis hereditariis magni motus consequi, quando familia regnatrice extincta, nullus certus successor adest. Atqui haec calamitas ter afflixit Sueciam, primo a. 1061, morte *Emundi* prisci, dein a. 1250, tandem a. 1363. Accessere multae aliae turbarum causae:

aliquo-

aliquoties reges *minorennes* fuere; Rex *Ingo* a. 1080 templum Vpsaliense combussit, quam insaniam scissio regni in Sueciam Gotiamque punivit; interim quae iura regibus proceres reliquerant, invalescens *cleri* cupiditas rapuit; *Erici* S. diram necem a. 1160 aeque dirum de throno certamen diuturnumque inter *Erici* et *Suerkeri* posteros insecutum est, uti post in Anglia inter albam rubramque rosam. Tam diu omnia internorum dissidiorum plena erant, quae hominibus genere opibusque florentibus maximam opportunitatem praebent, potentiam suam augendi, atque imperii adeo ius invadendi.

III. Habetis veram horum Iarlorum *originem*, plene ni fallor dilucideque apertam. — Nunc de eorum *iuribus* quaeritis? Iura legitime concessa habuisse nulla videntur, sed usurpata tantum, aut quae sibi ipsi sumserunt. De forma eos *inaugurandi*, de instructionibus ipsis datis, de *iuramento*, quod regi et regno praestiterint, quantum equidem potui reperire, omnino tacet historia. *Iarli* modestum titulum nunquam deposuere: *Ducis* nomini, quo latine scribentes, nec tamen semper, (p. 73, g. p. 75, t.) usi sunt, nihil fido. *Dux Sueonum et Gotorum* grande sonat: minor fastus est in titulo *Dei gratia*; hunc enim et Episcopi Suecici, Bring II, 1. saepius cit., et Germanici, usurparunt. In ordine testium subscribentium plerumque Episcopis postponuntur, Bring II, 184; semel eos Archiepiscopo atque ipsis regis filiis antepositos invenio.

Restant *fata* — *Iarlatus* huius fata intelligo, non *gentis Folkungicae*, ex quo illa thronum occupavit. *Birger* Iarl noluit sibi successorem dari in hoc officio regibus tam formidabili; at fecit aliquid multo peius: idem, pater filio-

rum suorum natu minorum magis pie quam civiliter amans, eos ambo *Härtigar* (*duces*, ut apud Germanos, Gallos etc.) esse iussit; idque stolidum consilium regnoque funestissimum, ipse Papa ita confirmavit, ut Sueciae regnum in tres partes divideretur. Quis crederet, sapientem alioqui Gustavum Vasa eundem errorem errasse, donec in comitiis regni a. 1622 per decretum, a. 1720 confirmatum, tales regni divisiones aut *ducatus reales* in perpetuum aboliti, ac non nisi ducatus *nominales* permissi essent.

Verum hoc nihil ad nos. Vniverse tantum monebo, post *Birgeri* II obitum Iarli nomen et officium interiisse; novum sensim ab integro rerum ordinem in Suecia coepisse; novum genus *ducum*, novam nobilitatem *Equitum* ex Palaestina accitorum, novos quoque, sed serius, *comites* (*Grefvar*, a. 1561) exortos esse; denique belluinas, ferinas et immanes, ut cum Gravina loquar, Langobardorum leges (*feudales*) Sueciam quoque, ut propemodum omnem Europam, infecisse. Qui et quid sub R. *Magno*, *Cancellarius* regis, *Drotset* (i. e. *i Drottens* vel regis *säte*, non *Truchseſs*), et *Marsk* fuerint, docet Bring II, 696 sqq.

IV. Solemne est scriptoribus Suecicis, hos suos Iarlos supremos, cum *Maioribus domus* Franco-Gallorum conferre: at vereor, ne ista comparatio iis iniuriosa sit. Fuerit eorum potestas regiae par atque adeo supra regiam, cuius tamen nullum testem habemus: at illa non per tam horrenda crimina potiti sunt, ut Francici Carolingi (melius *Arnulfingos* diceres), sed multo molliori via, ut Austria, per coniugia, per quae sese inde a 100 amplius annis in familiam regnatricem insinuarunt. Folkungorum tabulas genealogicas inspicienti, incredibilis sese offert multitudo eorum

ex

ex hac gente, qui regum Suecicorum, Norvegicorum, atque Danorum, generi, soceri, avi, consobrini, diu ante fuerunt, quam unus ex hac gente populi iussu throno potiretur. Et si iam antea aliquoties de throno decertarunt, affinitas semper incertusque succedendi ordo praetextum dedit: Carolingos contra mera libido ac nefanda iniuria throno admovit, cui nova iniuria regum suorum imbecillitatem praetexebant; quasi vero non ipsi huius imbecillitatis auctores per inhumanissimam educationem minorennium regum fuissent. Hoc unum reperio inter utrosque consimile: truculentiores hostes habuere nullos, quam se ipsos, fratres et consanguineos. Quam diras caedes, quot praelia sanguinolenta, tam ante *Birgeri* filium regem, quam postea inter regem et duces fratres, commemorat historia! Dubitat Benzel, utrum hac familia, quondam et diu in ipso fortunae flore constituta, alia infelicior unquam inventa sit. R. *Birger*, Birgeri Iarli nepos, fratres uterinos duces a. 1317 inedia enecavit, quorum alter tres tantum dies vixit, alter integros undecim, membris defuncti fratris pastus, vitam duxit. Fratricidae filius *Magnus*, heres regni, Holmiae Ordinum regni iussu decollatus a. 1320. Vltimus Folkungorum *Olaus*, Norvegiae rex minorennis, ipse quoque, ut suspicio tulit, horrenda morte a matre Margaretha inflicta, abreptus est.

## IX.

### *Iarli principes regnantes.*

Honoratissimum fuisse Iarli nomen in omni Scandia oportuit, quandoquidem neque *Birger* Iarl Suecus p. 80, neque *Vlf* Daniae prorex p. 57, neque illi totius regni

*Nor-*

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/91

*Norvegici* Iarli p. 56, neque *Hakon* Iarl, Norvegiae victor et vere rex, p. ead., illud deposuerunt. Nunc addam loca quaedam, ubi manifesto *Iarl* principem regnantem (*Souverain*, cum superioritate territoriali, etiamsi vasallum) indigitat.

*a.* Sn. I, 100. „Dein *Rolf (Gaungu-Rolfur)* ab occidente mare pernavigavit ad meridionales insulas, indeque occidentem versus perrexit in Galliam *(Wallaud)*, ubi late omnia vastavit, magnoque Iarlatu potitus est *(eignathiz thar Iarls riki micit)*, in quo, postea Normannia *(Northmanndi)* dicto, multos Normannos plantavit. A Rolfi genere veniunt Iarli *(Jallar)* in Normannia.“ Tamen merae praefecturae quoque saepius apud Sn. nomine *Iarls-riki* veniunt.

*b.* Sn. I, 176. „Per totam Trandhemiam tumultus ingens obortus. Tunc coacto exercitu rebelles Trandhemii *Hakonem* Iarlum sibi copiarumque ducem constituunt *(toco their til Iarls oc Hofthingia yfir lithit)*.“ Clare hic *Iarlus* (summus princeps) a copiarum *praefecto* distinguitur.

*c.* Sn. I, 517 sq. „*Ingegärd*, *Olai* Sueciae regis filia, sponsa *Iaroslavi* regis in *Garthariki* (i. e. magni ducis Kioviae), paciscitur *primo*, ut dotis loco sibi attribuatur *Aldeigoborg*, eique annexa ditio *(oc Iarls riki that er thar liggur til)*; *secundo*, ut sibi liceat aliquem ex Suecia virum eligere itineris sui comitem, et ut eius non minor in orientali ista regione dignitas foret, quam ea, qua in Suecia polluit. Annuere legati russici. Electus a puella *Raugnvalldur* Iarl; obtinuit magna ducissa Aldeiguborg annexumque ei territorium *(oc that Iarls riki er that fylgdi)*,

*fylgdi)*, idque omne *Ragvaldo* donavit, qui diu hic multa cum dignitate vixit. Filii Ragvaldi et Ingebergae, regis Norvegici filiae, fuere *Vlf* Iarl et *Eylif* Iarl."

*d. Orcadensium* Iarlorum frequens apud Islandos memoria est, qui ante insulas a Norvegis subactas certe non meri praefecti fuere. *Orkn. Sag.* p. 3. „R. *Harald* comatus, *Einaro* Orcadum domino in Scotiam fugato, Orcadenses homagium praestare, fundosque omnes iuramento sibi addicere coëgit (*let Orcnaeyinga sveria ser aeyda oc aull othul sin*). Postea reconciliabatur Iarlo R. *Harald:* ille fiebat regis homo (*Konungs madr*), ditionem ab illo *feudo* accipit (*toc land oc len af Konungi*); vectigalia non solueret, quoniam insulae hostium incursionibus perquam obnoxiae erant; regi 60 marcas auri penderet." Addo ex diplomate de a. 1403, eidem *Sagae* p. 546 annexo: „cum *Wilhelmus de S. Claro*, comes Orcadiae, dominus *le Sinclar*, ex chartis doceri vellet de maioribus suis, qui iure hereditario comitatum possederint; in publica omnium sessione Norvegiae regi Episcopus, Canonici, Legifer etc. subscriptione sua inter alia testantur p. 550: „a *Rognaldo* processerunt linealiter et gradatim omnes comites Orcadie, et possederunt temporibus suis dictum comitatum *libere, sine quacunque exaccione* quocunque *canone* seu *sensu* [*censu*], excepto obsequio praestando regibus Norvegie tributi racione." Hi sunt illi Iarli Orcadenses, quos peculiari inaugurandi modo ab aliis Iarlis distingui iubet *Hirdskraa*, p. 60; quibus solis, praeter regis filios, post a. 1308, *Iarli* titulus remansit, p. 61. Eorum mascula proles dudum desiit, sed per feminas ab iis *Sinclarii* Anglici et Suecici descendunt. In charta quadam a. 1388

Wat-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/93

Watstenis scripta occurrit testis subscribens „*Hera* [dominus] *Ernigiſsel Sonason Iärl oc Grefva*," quem circa a. 1346 a rege *Magno* Smek Orcadum Iarlum propterea creatum narrant, quod Sueciae reges olim Norvegiae, ergo etiam Orcadibus, imperarint! Permann 114 sqq.

## X.

### *Iarli natales, hereditarii.*

Ab initio *Iarli, Earli,* nomen *appellativum* erat, et quemlibet inter suos eminentem designabat, p. 51 sq.; postea *officiale* factum est; tandem originarius significatus, in lingua Islandica certe, fere rediit. Solet maiorum gloria honosque etiam in posteris, nisi prorsus degenerent, haerere: quid mirum igitur, si ab uno vel pluribus in eadem familia veris Iarlis officialibus, nomen et honos ad filios nepotesque transiit? Denique, fere ut anglicum *Lord*, cuilibet genere opibusque florenti id nomen datum.

*Ragnvaldi* filios ambo Iarlos a Sn. I, 517, nominari, modo vidimus; nec patri tamen in Iarlatu successisse memorantur. *Birgeri* Brosae quoque ambobus filiis *Iarli* nomen addit Sn. II, 346, de quorum officio aeque nihil constat. Et quod primo loco ponere debueram, habent linguae Scandicae vocabula *Iarl-born,* ex familia Iarlica, h. e. illustri, prognatum; habet *Iarla-Meder,* matrem felicem plurium insignium posterorum.

---

Haec sunt, quae de Iarlorum Norvegicorum, Anglicorum, et Suecicorum *origine, iuribus,* praecipuisque

*fatis,*

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/94

*ſatis*, ex omni antiquitate septemtrionali, at quam caliginosa! operose congessi.

Nunc vos de *rebus* iudicate, IVDICES, de *verbis* non item. Expurgare sermonem, stylum passim horridulum, incomtum, Scandico-latinum, comere, tum demum operae pretium sit, si forte diatriben hanc luci publicae exponi contigerit. Tunc abundanter congesta aptius quoque concatenabuntur.

---

## *Auctores primarii.*

1. Snorre Sturleſons Norska Tongers *Chronica.* Danice vertit Peder Clauſſon. Kopenhagen, 1633. 4.

2. Heims Tringla, eller Snorre Sturluſons Nordländske Tonunga-Sagor. Edit. Peringskjöldi. Stockholm, 1697. Fol.

3. *Orkneyinga Saga* s. historia Orcadensium. Edidit Ionaeus. Hafniae, 1780. 4.

4. *Ius aulicum antiquum Norvagicum* . . . Hirdſkraa. Vertit Doemer, edidit Resenius. Hafniae, 1673. 4.

5. Torfaei *historia* rerum *Norvegicarum.* IV Tomi. Hafniae, 1711. Fol.

## *Auctores secundarii.*

1. Dalin Geſchichte des Reichs Schweden. Greifswald, 1756. 8.

2. Botin *Swenska folkets* historia. P. I et II. Stockholm, 1789. 8.

3. Bring Svea Rikes Hiſtoria. P. I—IV. Stockh. 1769 sq. 4.

4. Schöning Norges Riiges Hiſtorie. Vol. I—III. Soröe, 1771 sq. 4.

5. Spelmann *Glossarium* archaiblogicum. Londini, 1687. Fol.

6. Ihre *Glossarium* Svio-Goticum. Vpsal. 1769. Fol.

7. Permann Diss. de dignitate *comitiva*, de *Iarlorum* etc. Suecicorum eminentia ac iuribus. Vpsal. 1706. 8.

8. Ihre *Diss.* de dignitate *ducali* in Suecia. Vpsal. 1740. 4.

9. Svea-Rikes Råds-Långd, Sect. II om Rikets *Iarlar.* Auctor Vggla. Stockholm, 1791. 4.

10. Porthan Diss. observationes nonnullae de dignitate *Iarlorum* in Suecia. Aboae, 1798. 4.

11. Ancher Däniſches Lehns-Recht, überſetzt von Bärens. Kopenhagen, 1788. 8.

12. Örnhjölm historia Sveonum Gothorumque *ecclesiastica.* Holmiae, 1689. 4.

13. Magni a Celse' apparatus ad hist. *Sveo-Goticam.* Sect. I. Holmiae, 1782. 4.

14. Langebek Scriptores rerum *danicarum.* Vol. I — V. Hafniae, 1772 sqq. Fol.

15. Gebhardi Norwegiſche und Däniſche Geſchichte: in Fortſetzung der Allgem. Welt-Hiſtorie, Th. XXXII. Halle, 1768. 4.

u. ſ. w. u. ſ. w.

---

III.,

# III.

## DE INCREMENTIS AC PROGRESSIBVS LITTERARVM MECHANICARVM SECVLO DVODEVIGESIMO.

Des mihi punctum fixum extra terram et ego movebo.
ARCHIMED.

Ad eam doctrinam, quae de motu corporum viribusque tradit, quae pro causis motuum habentur, plures singulares disciplinas referri, quae communi nomine *Litterarum Mechanicarum* sive simpliciter *Mechanicae* appellantur, vulgo notum est.

Nonnisi sensim pedetentimque Mechanica in singulares disciplinas distributa atque tali modo faciliori eius studio consultum est. Mechanica in *Staticam* et *Mechanicam solidorum corporum*, in *Hydrostaticam* et *Hydraulicam*, in *Aërometriam* sive *Aërostaticam* et *Pneumaticam* discessit. Mathesis sublimior, ad omnes has disciplinas applicata, *Mechanicam sublimiorem* constituit, quae universe in *Dynamicam* et *Hydrodynamicam* dividebatur.

Iam Veteres litterarum mechanicarum cognitione, sed nonnisi practica, imbuti erant, et inprimis Graeci in iis excellebant. Hoc ARISTOTELIS, ARCHIMEDIS, CTESIBII, HE-

 RONIS,

RONIS, ANTHEMII, ISIDORI aliorumque inventa testantur. Neque vero ulla scientia cogitari potest, quae in vitam communem maiorem et ampliorem utilitatem exserat, quam Mechanica. Ad omnia, quae homines agunt, ministeria sublevanda quovis tempore vim suam evidentissime exseruit.

Graeci illi Mechanicae quasi conditores fuerunt, quibus defunctis, scientia ipsa defuncta videbatur. Per longa temporum spatia sopita saltem iacebat, donec christianis seculis ROGER BACO, GUIDO UBALDI, TARTAGLIA, STEVINUS, SCHOTTUS, BOYLE, GHETALDI cum aliis rursus eam suscitarent, et paterno amore foverent. Hi viri immortales non tantum maiorum inventa mechanica in lucem denuo proferebant, verum novis quoque observationibus et inventionibus eam ditabant. At GALILEUS demum, TORICELLUS, BORELLUS, BALIANUS, ROBERVALL, CARTESIUS, MERSENNIUS et alii adeo Mechanicam perfecerunt, ut facile esset intellectu, hanc scientiam in dies magis probatum et excultum iri, nec unquam in veterem contemtum denuo abituram esse. Paulo ante initium seculi duodevigesimi WALLIS, MARIOTTE, NEWTON, HUYGHENS, LEIBNITZ, VARIGNON, DE LA HIRE, ROHAULT, AMONTONS, PARENT et alii tantopere de ea meriti sunt, ut nominum immortalitas ex posterorum memoria neque exstingui neque deleri unquam possit. Nunc in dies singulos inventorum copia augebatur, ac profecto seculum duodevigesimum minus clarum fuisset, nisi in eo Mechanica ad tantum perfectionis gradum evecta, nisi tot tantisque observationibus et inventis aucta esset, ut maxime arduum sit, omnia singulatim exponere. Nunc gloria eius quam diu hominum memoria manebit.

*Statica*

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/98

*Statica* atque *Mechanica* studiis multorum clarissimorum virorum seculo XVIII. summopere perficiebantur. Varignon de motu corporum variisque, quibus ille oriatur, viribus egregias observationes fecit [1]). Leonh. Euler liberum motum multorum corporum filo suspensorum, si super planitiem horizontalem ducuntur, accurate perquisivit [2]). Idem doctrinae de solidorum corporum motu multum lucis affudit, quod ante eum iam Mariotte coeperat [3]). De motu circa axem Leonh. et Albert. Euler praclara nos docuerunt [4]). Commentarii Academiae Parisiensis (*Mémoires de l'Ac. roy. des sc.*) Varignonis utilissimis commentationibus, praesertim de aequilibrio deque motibus varia ratione productis, abundant. Subtilissimus hic mathematicus Staticam quoque ad principium Stevini de aequilibrio retulit, ac princeps usum motus compositi ratione aequilibrii machinarum docuit. De generali motus et aequilibrii lege inprimis d'Alembert [5]), Bossut [6]), de la Grange [7]), Herrmann [8]) et Karsten [9]) egerunt. Motum corpo-

1) Varignon, *nouvelle Mecanique ou Statique. Paris* 1725. 4.

2) Acta Acad. Petropol. 1780. P. I. Mem. p. 107.

3) *Mémoires de l'Acad. roy. des sciences à Paris. T. I. p.* 182 *sq.*

4) Acta Acad. Petrop. 1782. P. II. Mem. p. 107. — *Mémoires de Berlin* 1758. *p.* 284; et 1760. *p.* 261.

5) d'Alembert, *Traité de Dynamique. Paris* 1743. *Nouv. ed.* 1752. 4.

6) Bossut, *Traité élémentaire de Mecanique et de Dynamique. Paris* 1763. *Nouv. ed.* 1775. 8.

7) De la Grange, *Mechanique analytique. Paris* 1788. 4.

8) Herrmann, Phoronomia, sive de viribus et motibus corporum. Amstelod. 1716. 4.

9) Karsten, *Lehrbegriff der gesammten Mathematik. Th.* 3. 4. *Greifsw.* 1769. 8.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/99

corporum, pro punctis habitorum, Euler fere penitus exhausit [10]). Elasticorum corporum motum Leonhard Euler et uterque Bernoulli investigarunt, ut videre est in Commentariis Acad. Petropol.

De la Hire novam demonstrationem legis de aequilibrio *vectis* tentavit, illi similem, quam Kaestnerus suopte ingenio excogitavit. Varignon, de la Hire et de l'Hopital iam ineunte seculo XVIII. doctrinam de lapsu corporum emendare aggressi sunt; de qua re in Commentariis Parisiensibus plures eorum commentationes leguntur. Malfatti tempus definivit, quo corpori opus est, ut per canalem orbicularem decidat [11]). De la Hire, Saulmon et Camus de Molieres impulsui corporum multum operae dederunt, quod ex iisdem Commentat. Paris. patet. Medio seculo XVIII. idem spectabant Bernoulli, Euler et Klingenstierna, qua de re in Comment. Berolinensibus, Petropolitanis atque Actis Soc. Litt. Suec. quae opus sint, invenias.

De vibrationibus penduli Euler, Bernoulli, Herrmann, Wallerius, Krafft et Fuss multa acutissime observarunt, quod plures commentationes in Comment. Petrop. probant. Clairaut, Buffon et Courtivron eandem rem in Comment. Paris. circa medium seculi XVIII. tractarunt. Huyghens pendulo pro regulatore magnorum horologiorum primus usus est, cui rei ut aequabilem motum efficeret, laminas in modum cycloideum inflexas adhibuit. Emendavit atque amplificavit theoriam de centro oscillationis atque impulsus; idem leges vis centrifugae invenit. Newton subli-

10) in Mechanica. Petropol. 1736. 2 Vol. 4.

11) *Memorie di Verona. Tom.* 7. *p.* 462.

sublimiorem mechanicam ad perfectiorem gradum evexit; neque is, ut Huyghenius in motu centrali per orbem acquievit, sed generali ratione leges motuum per curvas demonstravit, primusque motuum in mediis resistentibus plenam theoriam delineavit. Idem primus fuit, qui sublimiorem mechanicam a communi seiungeret. Leibnitivs, Iacobus et Iohannes Bernoulli, de l'Hopital, Saurin, Maclaurin, Herrmannus, Euler, d'Alembert, Lambert, Kaestnerus, Karstenius et de la Grange seculo XVIII. de perficienda sublimiori mechanica maxime meriti sunt. Karstenius eandem ad utiliores res, inprimis ad machinas movendas, applicavit. Herrmannus autem primus fuit, qui mechanicis istius temporis inventis, ope rationis differentialis et integralis, in Compendio mechanico usus suo loco ea insereret [12]). Rationes, quibus mechanica innititur, d'Alembert subtiliori examini subiecit [13]). Atque Kaestnerus Germanorum primus erat, qui lingua vernacula librum componeret, unde sublimioris mechanicae praecepta accuratius et plenius discerentur, quique in Physicam simul atque Machinas eadem applicaret [14]).

Kaestnerus theoriam *Vectis* dilucidiorem fecit [15]); verum Dätzl et Aepinus [16]) et potissimum Pas-

quich

12) Herrmanni Phoronomia. Amstelod. 1716. 4.

13) d'Alembert, *Traité de Dynamique. Paris* 1743. 4.

14) A. G. Kaestner, *Anfangsgründe der höhern Mechanik, Göttingen* 1766. 8.

15) Kaestner, Vectis et compositionis virium theoria evidentius exposita. Lips. 1753. 4. Ej. de velocitate vectis inflexi; in Nov. Commentar. Gotting. T. V. P. I. p. 119.

16) A. Dätzl, *Theorie des Hebels; in Oberdeutschen Beyträgen. Th. 1.* — Nov. Comment. Acad. Petropol. 1760 — 1761. Vol. 8. p. 271 sq.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/101

QUICH [17]) omnium simplicium machinarum principi häud parum operae dederunt, quum iam VARIGNON hanc mechanicae partem insigniter illustrasset [18]). BUGGE theoriam *Trochleae* accuratius explanavit [19]); *Cochleam* vero et *Planum inclinatum* DE LA HIRE [20]), KAESTNER [21]) aliique, *Cuneum* DESAGUILIERS [22]), BAERMANNUS [23]), NICHOLSON [24]) etc.

De pondere corporis in certis fulturis DELANGES, MALFATTI, FONTANA, LORGNA et PAOLI in Commentariis Italicis et Veronensibus verba fecerunt; item SIÖBERG Suecus in Novis Actis Suecicis, atque EULER in Novis Commentariis Petropolitanis; KAESTNERUS [25]) atque Anglus HEE [26]) de nisu ponderum in machinis.

*Hydrostatica* quoque atque *Hydraulica* seculo XVIII. emendatiori forma prodierunt. DAN. BERNOULLI, D'ALEMBERT, EULER et KAESTNERUS de Hydrostatica vehementer meriti sunt. Nisum aquae in alia corpora circiter ante XXX annos DE BORDA et BOSSUT (in Comment. Paris.), DE LA

17) *Leipziger Magazin für reine u. angewandte Mathematik.* 1786. *St.* 4; 1787. *St.* 1.

18) VARIGNON, *nouv. Mechanique ou Statique. Tom. I. Paris* 1725. 4.

19) *Neue Schwedische Abhandlungen. Bd. VIII. St.* 2.

20) *Du plan incliné et de la vis; in Mémoires de Paris. Tom.* 9. *p.* 199. 217.

21) Dissert. mathem. et phys. Altenburg. 1771. 4. Nr. 4. p. 38.

22) J. T. DESAGUILIERS *Course of experimental philosophy. Vol. I. London* 1745. 4. *p.* 112 *sq.*

23) G. F. BAERMANN, Dissertatio de Cuneo. Witenb. 1751. 4.

24) A. TILLOCH'S, *philosophical magazine. Vol. I. Lond.* 1798. 8. *p.* 316 *sq.*

26) Act. Acad. Moguntinae, quae Erfurti est. 1777. p. 203.

26) CHR. HEE, de pressionibus ponderum in Machinis motis; *in Philosophical Transactions.* 1755. *p.* 1.

de la Grange et Michelotti [27]), Fontana [28]), Dan. Bernoulli [29]) et Mann [30]), Chapman [31]) et Vince [32]) exposuerunt. Varignon, Dan. Bernoulli, Reaumur et Brisson doctrinam de gravitate specifica emendarunt; Fahrenheit, Gattey, Lindblom, Richter, Brisson, Quin, Schmeisser et alii *Araeometra* conficienda docuerunt.

In Hydrostatica ad commoda publica applicanda seculo XVIII plures strenui docti elaboraverunt. Demersionem navium in aqua, ut inde iustum onus constituatur, inter alios Sheldon, Polhem et Euler [33]) docebant. Nec non pluribus festivis phaenomenis, v. c. descensui et ascensui piscium in aqua, natationi hominum et animalium, quae res ex hac disciplina lucem petunt, accuratiores definitiones contigerunt.

Hydraulica potissimum leges spectat, quibus vas aqua impletum effluit, conclusionesque inde petit de aquae motu. Torricelli rectissime observaverat, celeritatem aquae per meatum fluentis ita comparatam esse, ut radix quadrata ex altitudine superficiei aquae supra foramen: Barattini, Mariotte, Gulielmini, Michelotti et Buat postero tempore hanc legem experimentis confirmatam reperiebant; Herrmannus autem, Zendrini, Newton, Joh. et Dan. Bernoul-

27) *Mémoires de Turin. T. I. p.* 95; *T. IV. p.* 121 *sq.*

28) *Memorie di Verona. T. II. P. I. p.* 142 *sq.*

29) Comment. Acad. Petropol. T. IV. p. 194.

30) *Mémoires de Bruxelles. P.* 5. Hist. *p.* 1.

31) *in Neuen Schwed. Abhandl.*

32) Ante aliquot annos *in Philosophical Transact.*

33) *Schwed. Abhandl. Th.* 3. *S.* 198; *Th.* 5. *S.* 216. — Euler, *Traité de la construction et de la maneuvre des vaisseaux.*

NOULLI, D'ALEMBERT, EULER, KAESTNER, DE LA GRANGE, BOSSUT, PRONY, KARSTEN et LANGSDORF disquisitionibus suis theoreticis. Tabulas observatorias de copia aquae effluentis GULIELMINI et BOSSUT exhibuerunt; rationem ambitus foraminis ad contractionem radii aquae sive massam aquarum effluentem inprimis NEWTON, POLENI et BOSSUT constituere studebant.

DAN. BERNOULLI primum librum composuit, in quo Hydrodynamica fusius tradita est [34]). Hanc scientiam totam in *lege conservationis virium vivarum* fundat, quam pater JOH. BERNOULLI invenerat. Vterque, pater et filius, primi (anno 1729) leges proposuerunt, quibus motus corporum fluidorum a datis viribus acceleratur. Antea motus aquae nonnisi in statu quietis cognitus erat, totaque fere Hydraulica nonnisi in doctrina de motu aquae ex parvis foraminibus plerumque experimentis composita erat. Lingua vernacula KAESTNERUS primum Hydrodynamicae compendium utile conscripsit [35]).

Auctores hydrodynamici clarissimi KAESTNERUS, KARSTENIUS et BOSSUTUS de acceleratione aquae sensim effluentis formulas suppeditabant, quorum ad receptacula cum canalibus minimus usus erat. In universum BERNOULLI uterque, D'ALEMBERT, EULER et DE LA GRANGE motui aquae leges praescripserunt, quibus in rerum natura obsequi non licebat. Opera BOSSUTI, BUATI, MICHELOTTI, HELSHAMI, BANKSII, LANGSDORFII, PRONY, WIEBEKINGI et BADERI,

34) DAN. BERNOULLI, Hydrodynamica. Argentor. 1738. 4.

35) A. G. KAESTNER, *Anfangsgründe der Hydrodynamik*. Göttingen 1769. 8.

Baderi, qui theoriam ubique experientiae iungerent, meliori eventu gaudebat.

Considerationes Bossuti 36) et Buati 37) de aqua e canalibus effluente summam utilitatem adferebant. Inde enim celeritatem et nisum aquae in canalibus, copiam aquae effluentis, iustam amplitudinem canalium definire poterant, quae omnia Parent, Belidor et Cancrinus experientia firmarunt. Kaestnerus doctrinam de nisu aquae in aggeres, emissaria et canales applicandam subtilissime exposuit 38). Buatus vero doctrinam de motu fluidorum eo amplificavit, quod leges investigaret, ex quibus in longis aquae ductibus mora vel repugnatio intercedit, quae ratio inter hanc et longitudinem ambitumque canalium ac celeritatem aquae in iis defluentis intersit, atque rationis huius definiendae causa mensuram universalem ad singulos quosque casus applicandam tradidit. Nunquam antea in solvendo hoc problemate satisfactum erat. Et profecto formula Buati, e multis experimentis hausta, in quemvis casum adhiberi potest.

Proportionem amplitudinis canalium seu tuborum iam ineunte seculo XVIII Carré et Römer emendare studebant, ut Comment. Paris. testantur; post illos Ioh. Dan. et Iac. Bernoulli (in Comment. et Actis Petropol.), Bonati et Lorgna (in Comment. Veronensibus) idem fecerunt.

Doctrinae de motu aquae in canalibus rectis prismaticis praecipue Bernardus, Poleni, Manfredi, Gulielmini,

 Bossut,

36) Bossut, *Traité elementaire d'hydrodynamique.* Paris 1775. *Nouv. ed.* 1777.

37) Buat, *Principes d'hydraulique.* 2 Tom. Paris 1779. 8. *Nouv. ed.* 1786.

38) Kaestner, *Anfangsgr. der Hydrodyn.* l. c.

Bossut, Grandi et Wiebeking operam dederunt, inprimis ut de celeritate atque impedimentis motus aquarum certiores fierent. Nec non Pitot 39) et Young 40) celeritatem aquae fluentis definiebant, ut Dan. Bernoulli et Euler (in Comment. Petrop.), Elvius, Brouckner et Brünings 41). Euler quoque de motu aquae, quum diversa temperie utitur, observationes instituit. Ceterum de eadem re, praeter Varignon et de la Hire, Couplet quoque, Saulmon et nuper Cousin (de quibus in Comment. Paris.) et de la Grange 42) egerunt.

Vt velocitas aquae practice constitueretur, peculiaria instrumenta (*Strommesser*) inventa sunt, in quibus Sphaera Silberschlagiana, Fistula Pitotiana, atque Ala hydrometrica Woltmanni prae aliis excellunt. Per hanc inprimis velocitas fluminum certissime constitui potest.

Libellatio (*das Wasserwägen*) quoque ad maiorem perfectionis gradum elata est, inprimis novis instrumentis (Libellis, germ. *Wasserwaagen, Nivellirwaagen*) ad hanc rem inventis a Passavant, Brander, Bugge, Keith, Kühn, Huth, Mönnich, Müller, Hogreve etc.

Doctrinae de repugnatione sive repulsu aquae inprimis Newton, Lambert, Dan. Bernoulli, d'Alembert et Kaestner subtilissimis disquisitionibus multum lucis affuderunt, posteaque eadem de re s'Gravesand, Krafft, Bossut, Ximenes, de Borda, Chapman, Vince, Woltmann, Brünings,

39) *Mém. de Paris* 1735.

40) *Transactions of the Irish Acad. Dublin* 1788. *p.* 81.

41) *Schwedische Abhandl.* 1741. *S.* 140. — *Mém. de Paris* 1750. *p.* 169 *sq.* — *Verhandel. d. Maatsch. te Haarlem. D.* 26. *p.* 1 *sq.*

42) *Mémoires de Berlin.* 1781. *p.* 151 *sq.*

nings, Gerstner et Langsdorf utilissima experimenta instituerunt, ut legem universalem invenirent, ex qua vires impulsus metiri possemus, quod in omnibus tympanorum generibus aliisque pluribus occasionibus summi emolumenti esse debebat. Leon. et Alberto Euler, Karsten, Belidor, Mönnich, Wiebeking et Bossut multum debemus in recta dictarum legum applicatione.

Emissariorum quoque structura iisdem praeceptis nititur; qua in re inprimis Batavi atque Angli claruerunt. Redelykheit non modo multa hac de re scripsit (in Actis Vltraiectinis), verum et ipse plura emendavit [43]. Quousque Angli seculo XVIII in emissariorum structura progressi sint, eius rei inter alia inclyti canales Ducis de Bridgewater testes sunt.

Aëris virtutes, mathematice spectatae, ineunte seculo XVIII a Barone de Wolff primum in systematis formam redactae sunt. Hic pro vero conditore eius scientiae habendus est, quae *Aërometriae* nomine vocatur. At Wolfii disquisitiones plerumque nonnisi aequilibrium earum virium spectabant, quae in aërem vim exserunt. Quum deinceps Aërometria tanquam peculiaris Matheseos pars tractaretur, ac praeter aërem communem seu atmosphaericum plures materiae elasticae fluidae cognoscerentur, quae omnes ab elasticitate iisdem legibus obediunt, haec scientia maximopere exhausta est. Verum generales de materiarum elasticarum fluidarum legibus investigationes semper adhuc multis difficultatibus laborant, dum plures hypotheses,

43) *Des Herrn* Corn. Redelykheit *neu erfundene Schleuse, und neue Art, die Schleusenthore zu öfnen und zu verschlieſsen. Wien* 1777. *Fol.*

theses, quae non semper naturae penitus congruunt, experimentorum inopia statuendae sunt.

Analyseos perfectio proprie effecit, ut agitatio materiarum, quas fluidas elasticas dicunt, investigaretur. Dan. Bernoulli, d'Alembert et Euler inter primos nominandi sunt, qui generaliori perquisitione hanc rem dignarentur. Bernoulli disquisitionem suam in theoremate conservationis virium vivarum fundavit; contra Eulerus docuit, Mechanicae argumentis hic quoque locum dari, et quali modo in solvendis problematibus huc pertinentibus ratio instituenda sit, si quis omnia exacte statuere velit. Totam de motu corporum fluidorum elasticorum doctrinam sub nomine *Pneumaticae* Karstenius exposuit.

Doctrina de impulsu aquae in aërem quoque applicata est, qua de re inprimis Karsten, Schober, Hutton et Woltmann observationes et experimenta praeclarissima instituerunt. Anglus Hutton aëris obstitium in planitie proposita semper in proportione esse cum quadrato velocitatis reperit [44]. *Anemometra* Wolffii, Leupoldi, Ons-en-Bray, Lomonosew, Zeiheri, Dalbergi, Wilkei, Oerteli, Pelissoni, Herrmanni et Woltmanni multum in explananda doctrina de aëris impulsu profuerunt. In alis quoque molarum pneumaticarum atque in velis navium utilissime ista doctrina adhibetur.

Mirum profecto est, quantum inprimis *practica Mechanica* et omnino *res machinaria* seculo XVIII novis inventis, observationibus et emendationibus profecerit. Prima elementa doctrinae de Machinis Camus anno 1722 delinea-

44) *Transactions of the roy. Society of Edinburgh. Vol. II.* 1790.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/108

delineavit 45); Leupoldo mechanica practica initio eiusdem seculi multum debuit, ut deinceps Belidoro, Cancrino, Mönnich, Baader et Langsdorf.

In movendis Machinis *viribus* opus est, quibus ipsis plures eruditorum summa cura perdiscendis seculo XVIII. multum operae dederunt. Parent 46), Deparcieux 47), Camus 48), de Mairan 49), Bülffinger 50), de Voltaire 51), Desaguliers 52), Borelli 53), Belidor 54), Coulomb 55) et Prony 56) e clarissimis sunt, qui de viribus hominum et animalium in movendis et sublevandis oneribus praecipuas disquisitiones facerent, quae in suculis et ergatis, manubriis, trochleis, rotis calcatoriis, curribus et carris aliisque instrumentis, quae tollendis et transportandis oneribus sunt, utilissime adhibebantur. Iisdem de rebus Angli Smeaton et Hamilton 57), atque Batavus Hennert 58) novissimo seculi XVIII quadrante observationes summi momenti insti-

45) Camus, *Traité des forces mouvantes. Paris* 1722. 8.

46) *Mémoires de Paris.* 1714. *Hist. p.* 93 *sq.*

47) *Mém. de Paris.* 1760. *Hist. p.* 151 *sq.*

48) Camus, *Traité des forces mouvantes, p.* 482 *sq.*

49) *Mém. de Paris.* 1728. *Hist. p.* 73 *sq.*

50) Comment. Acad. Petropol. T. I. p. 43.

51) *Mém. de Paris.* 1741. *Hist. p.* 149 *sq.*

52) Desaguliers *Course of experimental philosophy. Vol. I. ed. sec. London* 1745. 4. *p.* 273 *sq.*

53) Borelli, de motu animalium. P. I. Hagae Comitum 1743. 4. p. 77 sq.

54) Belidor, Architect. Hydraul. §. 120.

55) *Recueil des prix de l'Acad. T. VIII. p.* 7 *sq.*

56) Prony, *nouv. Architecture hydraulique. T. I. Paris* 1790. *p.* 517.

57) *Philosophical Transactions.* 1763. *p.* 103 *sq.*; 1776. *p.* 450 *sq.*

58) *Verhandel. der Maatsch. te Haarlem. D. VI. St.* 2. *p.* 706.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/109

instituerunt. Novam methodum virium humanarum machinis applicandarum Franco-Gallus Briandferré invenit [59]. At in omnibus his ministeriis homines vel robur membrorum tantum, vel *partem* ponderis sui applicare poterant. Cel. Baader primus apparatum excogitavit, quo homo *toto* suo pondere, sociata brachiorum fortitudine, agere possit [60]. Anglus Buchanam exeunte seculo XVIII utilissima experimenta fecit, quibus mechanicam hominis vim variis corporis positionibus cognosceret [61]. Neque minus Schulze de viribus hominum atque animalium pericula instituit, atque hominis fortitudinem ab equi viribus quaterdecies superari invenit [62]. Suecus Norberg vires hominis in movendis manubriis separatim consideravit, atque res utilissimas inde coniecit [63]. Insignem methodum, qua homines bestiaeque machinis movendis optime vires suas applicarent, Anglus Eckhard reperit [64], atque Franco-Gallus Barthez in opere clarissimo de hominum atque animalium motu perspicue et docte disseruit [65].

Nec

59) *Mém. de Paris.* 1737. *Hist. p.* 106 *sq.*

60) *Bergmännisches Journal von* A. W. Köhler. *Jahrg.* 2. *Bd. II. Freyberg* 1789. 8. pag. 754 *sp. Neue Anwendung der menschlichen Kraft in der Mechanik.*

61) *Repertory of arts and Manufactures. Vol. XV. Lond.* 1801. 8. *p.* 319 *sq.*

62) *Nouv. Mémoires de l'Acad. Roy. des sciences et belles-lettres. Année* 1783. *Berlin* 1785. 4. *pag.* 333 *sq.*

63) *Kongl. Vetensk. Acad. nya Handl. A.* 1799. *T. XX. p.* 51 *sq.*

64) *Repertory of Arts etc. Vol. II. Lond.* 1795. 8. *p.* 361 *sq.*

65) P. J. Barthez, *nouvelle Méchanique des mouvemens de l'homme et des Animaux. Carrassonne An VI.* (1798.) 4. — Barthez, *neue Mechanik der willkührlichen Bewegungen des Menschen und der Thiere. Aus dem Französ. von* K. Sprengel. *Halle* 1800. 8.

Nec non vires ex elastrorum pulsu ortae seculo XVIII accuratiori investigatione gaudebant, cui rei inprimis Camus 66), de la Grange 67), Lexell 68) et Manfredi 69) operam dabant.

Quanta vis vaporibus insit corporum igne solutorum, constat. Iam exeunte seculo XVII Papinus illam docuit; sed seculo demum XVIII. accuratior disquisitio memorabilis ac gravissimae huius causae reservata erat. Vapores ex aqua ebulliente in vase clauso soluti, elasticitatis ope maximam vim proferunt. Ziegler princeps erat, qui seculo XVIII. experimenta hac de re faceret, quae tamen non tam certa erant, quam observationes, quibus deinde de Betancourt inclaruit. His observationibus nixus Prony formulam composuit, elasticitati vaporum aqueorum inservientem, quam Gren, Voigt et Schmidt examinaverunt, at non ubique adhibendam repererunt.

Doctrina de viribus ligni aliorumque corporum ad machinas pertinentium, quae eadem haud levissimam partem Mechanicae constituit, seculo demum XVIII. explanata est, inprimis opera Büffoni 70), Musschenbroek 71) et du Hamel 72). Postero tempore eandem amplificabant Camus de Me-

66) *Mém. de Paras.* 1728. *Hist.* 73 *sq.* *Mém. p.* 159 *sq.*

67) *Mémoires de Berlin.* 1769. *p.* 167 *sq.*

68) Acta Acad. Petropol. 1781. P. 2. Mem. p. 185.

69) Commentar. Bononienses. T. II. P. III. p. 383 sq.

70) *Mémoires de Paris.* 1740. *p.* 433 *sq.*; 1741. *p.* 292 *sq.*

71) Introductio ad philosophiam naturalem. T. I. p. 390. sq.

72) *Mém. de Paris.* 1768. — Huth's *Magazin der bürgerlichen Baukunst. Bd. I. Th.* 2. *Weimar* 1790. 8. *p.* 199 *sq.*

Mezières 73) Huth 74) aliique non exigua laude. Quentin machinam reperit, qua vires multarum materiarum inveniri possent 75).

Impedimenta, in movendis machinis obvia, seculo praeterlapso diligentiori quoque examini subiecta sunt, ut quam maxime posset, amoverentur. Eorum summum *frictio* est partium, quarum altera super alteram movetur.

Doctrina *de frictione* summi in Mechanica momenti habenda est, inprimis si leges atque vehementiam frictionis spectamus. Neglecta illa, pleraque mechanica opera vitiosissime perficerentur, quum frictio in machinis impedimentum sit, quod, quam maxime potest, tolli debet. Seculo XVIII haec doctrina insigni modo exculta atque perfecta est, quod maximam partem experimentis debetur, quae Amontons 76), de la Hire 77), Parent 78), Leibnitz 79), Bilfinger 80), Musschenbroek 81), Leupold 82), Sturm 83), Desaguliers 84), Camus 85), de Segner 86), Belidor

73) Camus de Mazières, *Traité de la force des bois. Paris* 1782. 8.

74) *Magazin für die bürgerliche Baukunst. Bd. I. Thl. 2. p.* 221. 245.

75) *Mém. de Berlin.* 1793.

76) *Mém. de Paris pour* 1699 *et* 1704.

77) Ibid. l. c.

78) Ibid. l. c.

79) *Miscellanea* Berolinensia ad 1710. Class. math. Vol. I. pag. 307 sq.

80) Commentat. Petropol. T. II. Petrop. 1727. p. 403 sq.

81) Musschenbroek, introductio ad phil. natur. T. I. pag. 115 sq.

82) J. Leupold, Theatrum machinarum gen. Leipzig 1724. Fol. Cap. 16. §. 215.

83) Miscell. Berolini. ad 1710. Class. mathem. Vol. I. p. 294.

84) Desaguliers *Course of experimental philosophy. p.* 211 *sq.*

85) de Camus, *Traité des forces mouvantes. Paris* 1724. *p.* 304 *sq.*

86) de Segner, Disputatio de

DOR[87], LAMBERT[88], BOSSUT[89], EULER[90], XIMENES[91], COULOMB[92], VINCE[93] aliique super hac re instituerunt. Regulae, a BELIDORO inde deductae, maximam partem a vero abhorrebant. Feliciori eventu KARSTEN, MÜNNICH, ZALLINGER, BOSSUT, COULOMB et LANGSDORF hanc rem aggressi sunt. Pleraeque difficultates accuratiori definitioni frictionis in axiculo rotarum et inprimis vi et onere in dente et tigillo manebant. De frictione in axiculo EULERUS accuratius formulas inscripsit, quas tamen in praxi adhibere non licuit. Maiori usui erant disquisitiones COULOMBI de eadem re[94]. GERSTNERUS vero frictioni in dentibus multum lucis affudit, quod non minus Mechanicae practicae profuit. Maxime autem doctrinam de frictione perfecerunt experimenta MUSSCHENBROEKII et inprimis COULOMBI. Hi simul docuerunt, qua ratione in omnibus fere machinis, praesertim in rotationibus circa axem frictio minui possit, scilicet adhibendis materiis variis heterogeneis durissimis, quarum altera super alteram agitetur, diminuendis et pla-



adfrictu solidorum in motu constitutorum. Halae 1758.

87) BELIDOR, *Architecture Hydraulique. T. I. P. 1. Paris* 1737. 4. *Liv.* 2. *c.* 2. *art.* 223.

88) *Nouv. Mémoires de Berlin.* 1772. *p.* 9 *sq.*

89) BOSSUT, *Traité élémentaire de Mecanique et de Dynamique. Paris* 1775. 8.

90) Act. Acad. Petrop. 1781. P. 2. Mem. 131.

91) LEON. XIMENES, *Teoria e pratica delle Resistenze de' solidi ne' loro Attriti. P. I. Pisa* 1782. *P. II. Firenze* 1782. 4.

92) *Pièce qui a remporté le prix double de l'Acad. des sc. pour l'année* 1781. — Conf. MATTH. METTERNICH, *vom Widerstande der Reibung. Frf. u. Mainz* 1789. 8. et in *Acta Iablon.* B. II. p. 80 - 131.

93) *Philos. Transact. Vol.* 75. *for* 1785. *p.* 165 *sq.*

94) *Mémoires de Paris.* 1790. *p.* 448 *sq.*

nitie et pondere earum atque melioribus axungiis. Continuato motu frictio magis magisque minuitur, quod investigationes virorum illorum aeque probant. Vt funium et catenarum pondus eoque ipsam frictionem imminuerent, GIRARDUS et BAILLET DE BELLOY 95) operam dederunt.

Inventio rotarum vel trochlearum frictionem minuentium (*Frictionsräder, Rollscheiben*), in quas axiculi machinarum immittuntur, summi in Mechanica momenti fuit. HENRICUS SULLY primus eas reperit, deinde a clarissimis prioris seculi horologiariis BERTHOUD, LE ROY, HARRISON etc. in horologiis maritimis, postea a pluribus quoque inclytis mechanicis in *maioribus* machinis, quin in ipsis plaustris, haud sine usu adhibitae sunt.

Arctissime huic coniuncta est doctrina *de rigiditate* seu *immobilitate funium*, quae et ipsa impedimentum motus est, atque machinis re vera magnam potentiae partem subducit. DESAGULIERS 96), MUSSCHENBROEK 97), FRANCESCHINIS 98), VAN SWINDEN 99) aliique magni nominis viri rationem rigiditatis funium siccorum et aequalibus filis contortorum e *directa* proportione crassitudinis onerumque eos tendentium atque ex *inversa* proportione diametrorum discorum vel cylindrorum, circum quos flectuntur, rectissime aestimaverunt. Quo crassiores funes, quoque minores

95) *Journal de Physique. Tom.* 32 et 35.

96) DESAGULIERS, *Course of experimental-philosophy. London* 1717. *nov. ed.* 1745. *P. I. p.* 247.

97) Introduct, ad phil. natur. §. 530.

98) F. M. FRANCESCHINIS, *della Tensione delle Funi. Bassano* 1784.

99) VAN SWINDEN, positiones physicae. Harderowici Geldrorum 1786. 8. T. I. p. 320 sq.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/114

res disci vel cylindri, eo maior rigiditas. Quae eadem experimentis suis probata reperit cel. Coulomb [100]).

*De fortitudine funium* de la Hire [1]), du Hamel [2]), Musschenbroek [3]), Erichson [4]), de Schroeder [5]) aliique experimenta fecerunt satis memorabilia. Funes contortos aequali crassitudine minus fortes esse quam non contortos, axungia non delibutos minus quam delibutos, ostenderunt, atque fortitudinem funium imminui, quo magis torqueantur, itaque *funes textos*, quales ex aliquot annis in agro Würtembergensi conficiuntur [6]), maximam fortitudinem exserere ideoque ad eundem usum multo tenuiores adhiberi posse, quod in machinis ob minorem rigiditatem minoraque onera summam utilitatem affert.

Clarissimus naturae scrutator Roemerus, Danus, primus docuit, optimam figuram dentibus rotarum, quae alternantes incidunt, *epicycloideam* esse, nempe a Cycloide petitam, quo facto facillimum perfectissimumque motum effici. de la Hire viam ab illo inchoatam persecutus, constructionem et applicationem harum curvarum accuratius exposuit. Verum maiorem postea huic rei operam impendebant Camus, Euler, Kaestner et Gerstner. Consiliarius metallicus Saxonicus Borlach, Koeseni apud Numburgum

[100]) *Mémoires de Mathem. et Phys. T. X. p.* 77 *sq.*

[1]) *Mémoires de Paris. T. IX, p.* 242 *sq.*

[2]) *Art de la Corderie. chap.* 13.

[3]) l. c. p. 409.

[4]) *Schwedische Abhandlungen. Bd. I. p.* 68 *sq.*

[5]) *Schriften der Naturforschenden Gesellschaft in Danzig. Th. II. p.* 480.

[6]) W. G. Rappolt, *über die Stärke rund gewobener Seile, wie sie auf dem Bühlhofe bey Calw im Würtembergischen verfertigt werden. Tübingen* 1795. 8. *pag.* 28 *sq.*

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/115

burgum, primus in salinarum, quae ibi sunt, rotis illa inventione usus est; mathematicus Suecicus vero Pehr Elvius medio seculo XVIII in constructione paxillorum et dentium cylindrorum (*Heblinge* et *Wellfüſse*), atque peritissimus artifex Ferd. Berthoud eodem tempore Parisiis in dentibus rotarum horologii eam applicuit. Kaestnerus deinde multa praeclara tradidit de Epicycloide deque huius usu in paxillis et dentibus [7]).

Omnes *machinae horariae* (*Uhren*) seculo XVIII in maiorem perfectionis gradum elatae sunt. Namque magis in dies ex Mechanicae principiis construi coeptae sunt, qua in re initio dicti seculi Varignon, de la Hire, Huyghens, Sully, Hook et Leibnitz excelluerunt. Medio seculo XVIII inprimis Berthoud, le Roy et Graham de emendandis horologiis multum laudis sibi paraverunt. Anglus Harrison iam in primis dicti seculi annis horologia maritima (*Längenuhren, Seeuhren*) invenit, qua re ars horologiaria profecto altiorem absolutionis gradum adscendit. Horologiis omnino ab hoc inde tempore tanta cura impensa est, ut fere nihil addendum videretur. Vulgaribus quoque horologiis Harrisoni inventa quam plurimum profuerunt. Harrisoni vestigia presserunt le Roy, Berthoud, Arnold, Kendal, Mudge aliique, qui in hac Mechanicae parte utilissime elaborarent. Ac sine dubio horologia in utilissimarum machinarum numero iure censentur.

Vaucanson, Mechanicus Franco-Gallus, tertio seculi XVIII decennio construendis *Automatis*, inprimis Anate et

7) Conf. J. H. M. Poppe, *ausführliche Geschichte der Anwendung aller krummen Linien. Nürnberg* 1802. 8. *p.* 126 *sp.*

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/116

Tibicine inclaruit, quae ſere pro summis in Mechanica inventis habenda sunt. Illae figurae omnes naturales actus imitantur, quos alias nonnisi ab animantibus expectare licet. Haec opera arte facta nunc quidem Beireis, Consiliarius aulicus Helmstadii, possidet. In conficiendis similibus machinis non minus artificiosis, quae decus et ornamentum Mechanicae sunt, postea inprimis Iacobus Droz ex urbe Chaux de Fond excelluit.

*Pedometra* quoque et *Hodometra*, quae quidem diutius iam innotuerant, seculo XVIII perficiebantur, opera inprimis Sauveur, Meynier, Outhier, Holfeld, Catel aliorumque virorum. *Polygrapha*, *Telegrapha* et *Pyrotelegrapha* dicto seculo originem debent.

Omnia *Librarum* genera seculo XVIII insigni modo perficiebantur, qua in re Leupoldo et Leutmanno [8]), Andrews et Salmon [9]) permultum debetur. Saladini anno 1787 *Stateram* universalem reperit, cuius longum brachium tali modo divisum est, ut libras et librarum partes ex pondere certi loci indicet [10]). Proſessor Schmidt bilances insigniter emendavit [11]). Ludlam, Anglus, novam libram in usum pannificiorum reperit, ad mollitiem et subtilitatem lanae deductae constituendam [12]). Nec non tales librae inven-

8) J. Leupold's Theatrum machinarum staticum, *oder Schauplatz der Gewichtkunst und Waagen. Leipzig* 1726. *Fol.* — J. G. Leutmann, de bilancibus et novis inventis staticis; in Acta Acad. Petrop. T. II. p. 35 sq

9) *Repertory of arts and Manufactures. Vol. VI. Lond.* 1797. 8. *pag.* 73; *Vol. XI.* 1799. *pag.* 16 *sq.*

10) *Atti della Academia di Napoli.* 1787. *p.* 47 *sq.*

11) Voigts *Magazin für das Neueste aus der Physik und Naturgesch. Bd. IX. St.* 3. *p.* 71 *sq.*

12) *Philos. Transactions.* 1765. *p.* 205.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/117

inventae sunt, in quibus non tantum *aequalia*, sed *inaequalia* etiam pondera examinari possent [13]). Libra sic dicta *Chinensis* atque *libra recurvata (Federwaage)* inter lepida inventa hoc loco non praetermittendae videntur. In medicum quoque usum Sanctorius et Glaser statera usi sunt, ut de copia effluentis sanguinis in venae sectione certiores ſierent. Librae, quibus magna onera examinantur, iam diutius in usu erant, at ingeniosus apparatus, quo plaustra vectoria penduntur, qui in Anglia tanta utilitate in viis publicis adhibetur, inventum est exeuntis seculi XVIII. — Probabilem librarum theoriam Eulerus et Lambertus exhibuerunt [14]).

Illae quoque machinae, quibus vernacula lingua nomen *Hebladen* contigit, tollendis magnis oneribus inter inventa seculi XVIII non inſimum locum occupant. Multas huius generis machinas utilissimas instituit Leupoldus; nec non Auger, Montigny, Loriot aliique. Pet. Sommer, Helvetus, anno 1759 vectes duos reperit, quibus arbores una cum radicibus suis e terra erui possunt [15]). Postea in inveniendis similibus machinis inprimis clarissimus Polhem, mechanicus Suecicus, excelluit [16]). *Grus* (*der Krahn*) et *Aries* (*die Rammmaschine*) valde emendabantur, ille v. c. a Desaguliers, Nordenskjöld, Vaucanson, Loriot, Ferguson, Berthelot, Pintchbeck, Iohn-

13) *Schriften der Naturforsch. Gesellsch. zu Danzig. T. I. p. 1 sq.*

14) Commentar. Acad. Petropol. T. X. p. 3. — Acta Helvet. Vol. III. p. 13 sq.

15) *Sammlung von landwirthschaftlichen Dingen der Gesellsch. zu Bern. Th. I. Zürich 1760. 8. St. 1. p. 191 sq.*

16) *Schwedische Abhandlungen. Th. XVIII. Hamburg 1757. 8. p. 193 sq.*

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/118

Iohnson, Dixon et White; hic ab Camus, Belidor, Loriot, Meese, Gugh, Kratzenstein, Eliander, Polhem, Perronet, Löwell etc. Theoria harum machinarum utilissimarum exeunte demum seculo XVIII magis emendata est. Scientifica mechanica haud prius eum perfectionis gradum assecuta erat, qua ad vere aestimandum et harum et aliarum machinarum effectum opus erat.

*Manubriorum* vel *axium recurvorum* usus maxime varius est. Horum theoriam inprimis emendabant de la Hire, Kaestner et Langsdorf [17]). Cl. Baader in applicatione eorum multa emendatius docebat [18]). Verbo, *Suculae* et *Ergatae* (Haspel und Göpel), omnes *rotae, quas ope manubrii circumagimus*, et *quarum internam cavitatem animalia calcant, Libramenta* (*Schwungräder*) similesque machinae seculo XVIII per emendatiorem theoriam multum perficiebantur.

Ope Mechanicae insigni modo omnes quoque *vecturae* seculo XVIII emendatae sunt. Plaustra et Carri ad hoc usque tempus sine principiis veris exstructa erant. Ex Cami autem et Desaguliers temporibus subtilius et accuratius strui coepta sunt. Ac deinceps studio Couplet, Dupin, Ellis, Faggot, Mönnich, Müller, Edgeworth, Amstice, Reddell, Lambert, Fuss, Cumming etc. potestas demum oblata erat, harum vecturarum rationem ita instituendi, ut movendis iis quam minima vi opus sit. Pericula recentissima Anglorum, Gallorum, Germanorum-

17) *Mém. de Paris. Tom. IX. p.* 152. — Nova Acta Helvetica. Vol. I. p. 75 sq. — Nov. Commentat. Soc. reg. Götting. Tom. V.

18) Jos. Baader, *neue Vorschläge und Erfindungen zur Verbesserung der Wasserkünste u. s. w. Anspach* 1800. 4. *p.* 46 *sq.*

norumque, quibus aptior rotarum constructio efficeretur, inprimisque frictio inter modiolum et axem imminueretur, notissima sunt; nec non laudabiles conatus, quos Polhem, Wiehen, Davis et alii susceperunt, ut singulari aliquo apparatu, cum curru coniuncto, (repagulorum genere) maximum malum praecaveatur, equis cum impetu ruentibus.

Subtilissimum sane inventum Mechanicae est *Machina Vaporaria* (*Dampfmaschine, Feuermaschine*). Inventa quidem iam ante exitum seculi XVII, at XVIII demum ad eam perfectionem adducta est, quae hodie primum inter praecipuas machinas locum ei tribuit, et in metallorum inprimis fodinis, ubi lignorum copia est, illam utilissimam facit. Newcomen, Cawley et Potter initio seculi XVIII primi erant, qui machinae vaporariae iam cognitae emendatiorem formam adderent. Multo magis medio seculo XVIII Scotus Watt in ea re enitebatur. Celeberrimus ille mechanicus vaporem aqueum elasticum ita adhibere callebat, ut maxima ei vis maneret, multisque aliis commodis in hac machina utebatur. Boulton, Hornblower, François, Cartwright, Droz et nonnulli alii vestigia eius secuti sunt. Satis constat, quam frequentes machinae istae hodie in Anglia ad opera summi momenti facienda adhibeantur et quantum iisdem proficiatur. In Germania idque in terris Borussicis eadem nunc in metallis, salinis variisque manufacturis adeo non sine usu adhibentur. Descriptiones huius machinae dederunt Leupold, Poda, Delius, Bossut, Blackey, Cancrin, Langsdorf et Prony, quorum posterior accuratissime de ea exposuit

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/120

suit [19]). In theoria machinarum vaporariarum inprimis versati sunt MAILLARD, PRONY et LANGSDORF. Fortitudinem vaporum aqueorum DE BETANCOURT, ZIEGLER, GREN et PRONY calculis et experimentis definire conati sunt.

Manufacturae atque fabricae, quin omnia vitae humanae artificia seculo XVIII multorum mechanicorum inventorum ope mirum in modum exaucta sunt; et maximam partem florere coeperunt, ex quo Mechanica dicto seculo ad tam sublime fastigium evecta erat. Quod ut probetur, sufficiet machinarum filis ducendis (*Spinnmaschinen*) mentionem iniicere, quibus facillima atque accuratissima ratione in manufacturis erioxylum deducitur, quibusque ipsis efficitur, ut gossypia tantillo pretio comparari queant, tamque subtilia et perfecta sint. RICHARDUS ARKWRIGHT, Anglus, anno 1775 has machinas excogitaverat, quibus in filorum deducendorum opere tot manibus parcitur ad alias utiles res adhibendis. Machinae istae, quae plura fila uno tempore deducunt, aqua vel manibus hominum agitantur. Postea non solum per totam Angliam innotuerunt, verum etiam in Galliam, Germaniam aliasque terras translatae sunt, ubi earum usus magis in dies perspicitur. Mechanica, his machinis applicata, seculo XVIII maximo sane decori et ornamento est.

Eodem tempore et machinae institui coeptae sunt, quae erioxylum nendo praeparant; quo pertinent *machinae carminatoriae*. Simplex adeo *trochus ad fila* valde emendatus est. Scilicet *Antis*, Anglus, tali modo eum instituit, ut filum in rhombo (*Spule*) sponte sua ab uno in

 alterum

19) PRONY, *Nouvelle Architecture hydraulique. Part II. contenant la description detaillée des Machines à feu. Paris 1796. 4.*

alterum uncinulum transeat, qua re multum temporis et operae lucrantur. Praeterea permultae aliae machinae technologicae recens inventae, aliae vehementer emendatae sunt. Machinae pannis et lemniscis sponte texendis, nulla humana vi adhibita, limisque incidendis (*Feilenhauermaschinen*), machinae pulchrae tormentis bellicis et canalibus ex massis lapideis terebrandis (*Kanonen-* und *Röhrbohrmaschinen*), Boultoni machinae cusoriae (*Prägemaschinen*), quibus variae merces metallicae excuduntur, atque chartae et panni poliuntur (*Glättmaschinen*); pedamenta artificiosa (*künstliche Gestelle*) ad Telescopia Herscheliana, machinae sic dictae amalgamatoriae (*Amalgamirmaschinen*), quibus solutio metallorum ope Mercurii adiuvatur atque arcta eorum coniunctio in massam pulti similem efficitur, quales ex inventione Consiliarii aulici imperialis de Born Consiliarius metallicus Gellert Freibergae in Saxonia instituit, multaeque aliae utilissimae machinae ingenio Mechanicorum priori seculo viventium excogitatae sunt. Nimis amplus forem, si omnia inventa hoc loco enumerare vel historiam cuiusvis inventionis singulatim persequi vellem. Ex dictis hucusque satis patebit, quam altum perfectionis in gradum seculo XVIII Mechanica evecta sit, et quantum eo ipso omnes fere manufacturae et fabricae profecerint.

In Oeconomiam quoque cultioris Mechanicae fructus atque commoda seculo XVIII redundarunt. Quod inter alia affatim probant machinae frugibus excutiendis (*Dreschmaschinen*), et purgandis (*Getraidereinigungsmaschinen*), machinae straminibus secandis (*Häckerlingsmaschinen*), et seminibus spargendis (*Säemaschinen*). Forma et

compo-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/122

compositio omnium instrumentorum rusticorum verioribus principiis mechanicis innixa est melioresque ubivis effectus protulit.

Omnia *molarum* genera diu quidem nota erant; at XVIII demum seculo mirum in modum perficiebantur, partim a meliore usu virium moventium, partim ab utiliore compositione internarum partium, rotarum etc. Et novae machinae et novae theoriae de optima ratione eas instituendi prodierunt. Saepe autem accidit, ut in re machinaria theoria experientiae aperte repugnaret, itaque veritati quoque, quoniam non satis examinata et inter se collata erant, ut iam supra demonstravimus. Belidori theoria de molis frugibus molendis per quinque decennia vulgo recepta erat, quamvis falsa esset. Obstitium et effectus molae frumentariae solummodo a superficie et velocitate *Cursoris*, minime vero ab eius pondere pendet, ut Belidorus contendebat. Ad minorem quoque maioremve crassitudinem *fulcri* sic dicti (*des Steges*), quod ferream perticam (*Mühleisen*) gestat, eiusque putatam elasticitatem nihil omnino redit, et ipsa formula Belidori saepius applicata ad constituendum obstitium frictionis inter dentes et bacillos falsa reperta est.

Quantopere Beyer et Sturm de practica molarum structura meriti sint, constat. Scripta eorum semper adhuc aestimanda sunt, quamvis multa hodiernae Mechanicae conditioni non amplius congruant. Riedel, Silberschlag et Dietrich per longum tempus de emendatione molarum cum rotis inferne impulsis certarunt, et neuter eorum victus discedere voluit [20]). Koehler proportionem velo-

[20]) *Schriften der Leipziger ökonom. Societät. Th. VII. p. 161 sq.*

velocitatis rotae aquaticae inferne impulsae atque impetus, in quo eius effectus sive momentum rotae maximnm est, definivit [21]. Buchanam et Eiselen multum operae dederunt emendandis rotis aquaticis [22], postquam potissimum Kaestner, Euler, Lambert, Mönnich, Krafft, Eytelwein, klügel, Langsdorf aliique earum theoriam perfecerant [23]. Meliorem theoriam et praxin cum rei molariae in universum, tum molarum aquaticarum inprimis acceptam referimus Bucqueto [24], Fabre [25], Wilke [26], Huth [27], Beh-

21) *Schriften der Leipziger ökonomischen Societät. Th. VII. p. 209 sq.*

22) Al. Tilloch's *philosophical Magazine. Vol. X. XI.* — J. C. Eiselen, *Beytrag zur Anwendung des Wassers auf unterschlächtige sogenannte Kropfräder. Berlin* 1800. 8.

23) A. G. Kaestner's *Anfangsgründe der Hydrodynamik. Götting.* 1769. 8. — J. A. Euler, enodatio quaestionis, quomodo vis aquae aliusve fluidi cum maximo lucro ad molas circumagendas etc. impendi possit? Göttingae 1754. 4. — B. F. Mönnich, *Anleitung zur Anordnung und Berechnung der gebräuchlichen Maschinen. Th. I. Augsb.* 1779. 8. — *Mémoires de Berlin.* 1775. *pag.* 70 *sq.* — Commentat. Götting. T. IX. P. 2. p. 26 sq. — Acta Acad. Mogunt. quae Erfurti est. T. I. p. 46 sq. — K. C. Langsdorf, *Lehrbuch der Hydraulik. Altenburg* 1794. 4. *p.* 595 *sq.* — *Sammlung nützlicher Aufsätze u. Nachrichten, die Baukunst betreffend. Bd. II. Berlin* 1797. 4. *u. s. w.*

24) Bucquet, *Manuel du Meunier et du Constructeur des Moulins etc. Paris* 1791.

25) Fabre, *Essai sur la manière la plus avantageuse de construire des machines hydrauliques et en particulier les moulins en bled. Paris* 1783. 4.

26) H. D. Wilke, *Aufsätze, mathem. physik. Inhalts. Götting.* 1790. 8.

27) J. C. Huth, *die nöthigsten Kenntnisse zur Anlegung, Beurtheilung und Berechnung der Wassermühlen. Halle* 1787.

Behrens [28]), Kaovenhofer [29]), Melzer [30]), Clausen [31]) aliisque. *Molae serrariae* opera Euler, Knutberg etc. ad altius perfectionis culmen evectae sunt [32]). Fortissima mola serraria Europaea *Carlscronae* est, et fortasse maximus effectus rotae aqua impulsae, scilicet ubi LXXII secturae uno tempore fiunt. Quam praeclara inventa simul in usum *molarum contusoriarum, terebratoriarum, cotiariarum* et *politoriarum* facta sunt! *Molis chartariis* in Germania primis seculi XVIII decenniis *sector pannorum*, culter quidam aqua impulsus, inventus est, cuius forma recentioribus temporibus simplicior et commodior facta est. Vsus *Hollandi* sic dicti magis magisque divulgabatur, atque haec machina ipsa in dies emendationes subit.

Rotis molarum conficiendis multum profuit verior cognitio doctrinae de frictione, ut iam supra a nobis demonstratum est. Maxime in Anglia istae machinae magnopere excolebantur. Omnes fere earum partes Angli nunc ex ferro fabricantur, etiam rotas et ductus aquaticos. Multa in iis ingeniosa commoda applicata sunt, quibus hae machinae insigni modo perfectae sunt. Quin et molas struxerunt, quae machinis vaporariis incitantur. Quantopere Hollan-

28) E. C. A. Behrens *practische Mühlenbaukunst. Schwerin* 1789. 4.

29) And. Kaovenhofer, *deutliche Abhandl. von den Rädern der Wassermühlen u. s. w. Riga und Leipzig* 1770. 4.

30) A. Melzer's *neu verbesserte Mühlenbaukunst.* 3 *Theile. Merseburg* 1793. 8.

31) Lor. Clausen, *pract. Anweisung zum Mühlenbau. Leipzig* 1792. 4.

32) *Histoire de l'Acad. de Berlin.* 1756. *p.* 267 *sq.* — *Schwed. Abhandl. Bd.* 31. *Leipzig* 1772. *p.* 12 *sq.*

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/125

Hollandi omnibus molarum generibus perficiendis consuluerint, inter alia pluribus commentationibus probatur in Actis (*Verhandel.*) Harlemensibus et Rotterodamis obviis. Nec non peculiares Machinae prodierunt, quae quot modii frumenti certo tempore in mola sint moliti, monstrant [33].

Alarum quoque *molarum pneumaticarum* theoria multis emendationibus indiguit. Karsteniana sane, quamvis magnopere probari videretur, ab aliis tamen superata est. Euler [34], Lambert [35], Coulomb [36], Schober [37], Lulofs [38], Aeneae [39], Gilpin [40], Clausen [41], Gower [42] et alii de machinis istis utilissimis magnopere meriti sunt, inprimis quod veram formam et angulum alarum ventis expositum attinet. Molae pneumaticae cum aliis, quae horizontali regione moventur, semper adhuc multis vitiis laborabant, quamvis multa de iis ingeniose prolata essent.

Machinae cum haustris (*Schöpfmaschinen*), Arcae (*Kastenwerke*), Rosariae (*Püsckelwerke*), Forcipes aquaticae (*Wasserzangen*) aliaeque similes machinae aquis tollendis iam ante initium quidem seculi XVIII aderant; at postea

33) *Oekonom. Nachrichten der Gesellsch. in Schlesien. Bd. VI. p.* 74,

34) *Mémoires de Berlin.* 1756. *p.* 165 *sq.*

35) *Ibid.* 1775. *p.* 92 *sq.*

36) *Mém. de Paris.* 1787. *Hist. p.* 41; *Mém. p.* 65 *sq.*

37) *Hamburg. Magazin. Bd. IX. St.* 2. *p.* 115; *St.* 3. *p.* 227.

38) *Harlemer Verhandelingen. Deel* 2.

39) H. Aeneae, *Verhandeling over de Moolenwieken. Amsterdam* 1785.

40) *Transact. of the American soc. Vol. I. p.* 339 *sq.*

41) Lor. Clausen, *pract. Anweisung zum Mühlenbau. Leipzig* 1792. 4.

42) Tilloch's *philosophical Magazine. Vol. IV. Lond.* 1798. 8.

poſtea demum ex verioribus principiis perficiebantur, adeo ut in maiore effectu facilius tractari poſſent. Vera patria machinarum ſive molarum cum hauſtris Hollandia eſt. Novam rotam antliaticam (*Schöpfrad*) ANDREAS WIRTZ Helvetus reperit 43). Theoriam *Cochleae* ARCHIMEDIS (*Waſſerſchraube, Waſſerſchnecke*) inveſtigarunt EULER, HENNERT, KARSTEN, BELLOGRADO, PITOT, FOUROUDE, SCHERFER, DATZL, NICANDER et GERLACH. Alis pneumaticis concita in variis terris, ut Hollandia, aquis ab agris deducendis cum uſu adhibita eſt.

*Antliae aquaticae prementes et ſugentes* (*Druckwerke* et *Saugwerke*) et ipſae ſeculo XVIII inſigni modo perficiebantur, inprimis ſtudiis LEUPOLDI, DE BORDA, DEPARCIEUX, KARSTEN, DELII, PODA, CANCRINI, BADERI, LANGSDORF etc. Ante aliquot XX annos falſa adhuc opinio erat, obſtitium in anguſtis canalibus ſeu tubis ſugentibus minus eſſe quam in amplis. Quod quidem noſtris temporibus refutatum eſt pluribus experimentis, inprimis quae WILKINSON Anglus inſtituit. Theoriam Antliarum aquaticarum prementium et ſugentium potiſſimum PITOT, JOH. et DAN. BERNOULLI, PESUTI, KAESTNER, BOSSUT, LANGSDORF et BAADER ad altius abſolutionis faſtigium evexerunt. Aeolipila (*der Windkeſſel*) iam diu antliis prementibus applicata; at ſugentibus antliis primum BAADERUS cum magno uſu illam adhibuit, qui et ipſe machinas contis coniunctis compoſitas (*Stangenkünſte*) non parum emendavit. Praeter dictos viros etiam BELIDOR et KLÜGEL de abſolvendis antliis prementibus eximie meriti erant, dum inprimis Siphonum incendiariorum (*Feuerſpritzen*) rationem haberent. Has utiliſſimas machinas poſtero tempore emendarunt



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/127

Silberschlag, Gütle, Busse, Helfenzrieder, Kersting, Parrot, Löscher, Karsten, Klügel, Richter aliique. Plura siphonum incendariorum genera, quae Ublemann, Dupuys, Thillage, Brunet, Varau, Varcourt et alii invenerunt, in Comment. Paris. (*Mémoires de Paris*) et opere, cuius titulus: *Machines et Inventions approuvées par l'Acad. roy. des sciences, T. I — VII.* occurrunt. Qua ratione Antliae prementes fontibus salientibus applicari possent, seculo XVIII maxime Switzer et Belidor docuerunt.

In machinis istis praecipue *lumina* (*Guſsmündungen*), *emboli* atque *valvulae* seu *ventilli* spectati erant, eoque ipso multo maior effectus producebatur. Löscher embolos cum assulis invenit, quorum usus in omnibus antliis sugentibus maximus est, propterea quod multo corio parci potest [43]). Idem Rosariam cum spongiis [44]) atque machinam hydraulicam aërostaticam excogitavit, cuius aqua, nullo adhibito apparatu antliatico, centum ulnas et altius attolli potest [45]).

Disquisitiones de variis *Siphonum* generibus seculo XVIII Wolff, Leupold, Homberg, Lehmann, Tetens et Karsten instituerunt. A siphone peculiares machinae (Machinae Siphoniae) derivabantur, ex quibus medio isto seculo *Machina Hoelliana*, ab eruditissimo Hoell, Schemnizii in Hungaria, inventa et constructa, inter alias incla-

43) Löscher's *Unterricht von Spähnkolben. Leipzig* 1783. 8.

44) *Ejusdem, Angabe einer Schwammmaschine. Leipz.* 1788. 8.

45) *Ejusd. Erfindung eines aërostatischen Kunstgezeuges, womit ohne alles Schöpf- und Pumpwerk u. s. w. Leipzig* 1797. 8.

inclaruit. Effectus eius utilissimus est. Aliae machinae siphoniae opera TROUVILL et JARS prodierunt.

De *Reactione aquae* sic dicta uterque BERNOULLI primum tradiderunt. Haec doctrina magnam profecto admirationem in Hydraulica fecit. EULER, KARSTEN, KRATZENSTEIN, BOSSUT et LANGSDORF multa subtilitate eam exposuerunt, usumque eius in machinis docuerunt. *Machina reagens*, sub appellatione *Rotae aquaticae Segneri* cognita, quae effectu suo ex calculo magnorum illorum virorum omnes alias machinas hydraulicas superare credebatur, postea in applicando nullius usus reperta est. Anglus quidem BARKER meditando reperire studuit, quomodo movendae molae frumentariae adhiberi posset, sed eventus votis eius non respondit. Simili modo KRAFFT et HOLLENBERG eventum, quem inde speraverant, non videbant. LANGSDORF novae *machinae sugentis vibratoriae* (*Saugschwungmaschine*) notionem ex illa petiit, quae profecto ingeniosissima multo magis usum spectatum praebet. DE KEMPELEN eandem machinam non aqua, sed vaporibus movendam curavit, atque ita nova rursus machina exstitit, *Machina vaporaria Kempeliana*.

In vehementia, qua aqua corpora premere valet, *Machina columnae* aqueae (*Wassersäulenmaschine*) sic dicta nititur, scilicet ubi radius aquae recidendo embolum attollit. Clarissimus HÖLL Schemnizii medio seculo XVIII hanc machinam adeo perfecit, ut in re metallica amplissimae utilitatis esset. Exeunte dicto seculo fratres germani MONTGOLFIER *Arietem hydraulicum* excogitarunt, qui canali horizontali in aquam immisso atque verticali cum illo communicante constat, in quem aqua influit atque

 ventil-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/129

ventillis appositis altius attollitur. Postero tempore hanc machinam examini subiecerunt BOSSUT et COUSIN utilissimamque iudicarunt, qua ex fontibus et fluminibus aqua tolleretur. Effectus eius a LANGSDORF iam investigatus et machina ipsa ab Italis PINI et RACAGNI [46]) iam descripta est. *Machinarum hydraulicarum* omnino plures seculo XVIII inventae sunt, ex quibus commemoratis addere sat erit machinam CHARMESI, quae aquas vi centrifuga attollat, GARVINI suculam hydraulicam, VERAICAM machinam restiariam (*Veraische Seilmaschine*) a LANDRIANI emendatam, hydraulicam machinam GOODWINI, ADRIENI DE CORDEMOY etc. Magnam hydráulicarum aliarumque machinarum copiam, quae maximam partem primis seculi XVIII decenniis inventae sunt, descriptam leges in: *Machines et Inventions approuv. par l'Acad. roy. des sciences à Paris, Tom. I — VII.*

Neque illae machinae hoc loco praetereundae sunt, quibus aër corruptus corrigitur (*Luftwechselmaschinen, Wettermaschinen*) quaeque aëri explodendo inserviunt (*Gebläsemaschinen*), ac Aërostati et Antliae pneumaticae. Priores illae in metallorum fodinis, nosocomiis, carceribus publicis, navibus etc. adhibentur, ut recens aër immittatur atque nocivus corruptusque eiiciatur. Machinarum director BARTELS in Hercynia anno 1711 Ventilatorem invenit, cuius usus in metallorum fodinis maximus reperiebatur, nec non alias novas machinas apagogicas. Post id tempus HALES Anglus, TRIEWALD Suecus, VAN MARUM Hollandus, POMMIER DE LYLE de ST. MARTIN, PILATRE DE ROZIER et AULNAGE Francogalli, atque PARROT et DE HUM-

BOLD

46) *Memorie della soc. Italiana.* T. X. p. 766 sq.

BOLD Germani similes et quodammodo utiliores etiam apparatus excogitaverunt, qui seculo XVIII maximae sane laudi et honori esse debent.

Machinae, quae aëri explodendo inserviunt, non paucioribus inventis gravissimis auctae sunt, ex quibus illae, quae Germanico vocabulo *Cylindergebläse* et *Baadersche Gebläse* dici solet, maxime inclaruerunt. Quae quidem inventiones omnibus officinis metallicis summum usum attulerunt.

*Aërostatorum*, qui anno 1782 a fratribus MONTGOLFIER inventi sunt, mentionem hoc loco faciam; quatenus causas ex Aërometria petunt, quae tamen mechanicis scientiis adnumeratur. Maiore autem iure mechanicorum inventorum numero *Antlia pneumatica* habenda est, seculo XVIII valde emendata. Iam LEUPOLDUS mechanismum huius machinae variis artibus melius composuit [47]), atque HAWKSBEE Antliam pneumaticam cum binis ocreis invenit [48]), quam deinde LEUPOLDUS etiam emendavit. s'GRAVESANDE primus mechanismum instituit, qui non solum embolis movendis inservit, sed etiam in quolibet novo ictu epistomium sponte intendit [49]). Nec non NOLLET nova duo Antliarum pneumaticarum genera reperit [50]); Jo. SMEATON vero has machinas anno 1759 adeo perfecit, ut re

47) Acta eruditorum Lips. 1714. Febr. p. 95 sq. — *Deutliche Beschreibung der Luftpumpen. Leipzig* 1707.

48) *Physico-mechanical experiments on various subjects. London* 1709. 4.

49) s'GRAVESANDE, Elementa philos. natural. mathem. Tom. II. Lib. 4. c. 4.

50) *Leçons de physique experim. T. III. leç.* 10.

51) *Philos. Transact. Vol.* 47. *no.* 69.

re vera non multum desiderari amplius posset [51]). Nairne, Blunt, Hurter, Haas, Cuthberson, Schrader, Reiser, van Marum, Little aliique postero tempore altiorem etiam in gradum tollere eas studebant, ea potissimum re, quod epistomiorum et ventillorum lusum simpliciorem redderent. *Antlias mercuriales* s. *pneumaticas hydraulicas* anno 1722 Suecus Schwedenborg in lucem protulit; cl. Baader, Hindenburg et Cazelet similibus inventis, non minus ingeniosis, innotuerunt. Nihilo tamen minus eorum usus neglectus est. Wilke et Berretray machinas reperiebant, quae calidis vaporibus aqueis, celeriter refrigeratis, vacua efficiunt.

Praeter dictas machinas multarum aliarum mentionem facere possem, quae originem suam emendatiori mechanicae seculi XVIII debent. *Gravissima inventa* haud sane oblitus sum, atque fortasse in spem venire licet, fore, ut commentatio mea ad incrementa et progressus, quos Mechanica seculo XVIII cepit, cognoscendos haud parum conferre possit.

---



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/132

# IV.

## DE WITECHINDI CORBEIENSIS VITA ET SCRIPTIS ANNALIVMQVE CODD. ET EDD. CVM CONSILIO NOVAE EDITIONIS PARANDAE.

— — Nec tam
Turpe fuit vinci, quam contendisse decorum est.
Ovid.

Quid ii de Germaniae veteris historia mereantur, qui Saxonicis inprimis rebus operam impendentes, Saxonum scriptores temporis invidia et incuria hominum aut pro perditis habitos ad novam lucem protrahant, aut seculi iniuria diu neglectos pristino honori reddant: id probe novit venerabilis Societas Iablonoviana, quae primo abhinc anno praeterlapso, iis, qui quaestioni eius de Witechindi Vita et Annalibus optime responsuri essent, honorifico praemio exposito, multorum patriae historiae amantium operam et studium excitare cupiebat. Dulce est et perquam carum unicuique Saxoni, illorum temporum memoriam recolere, ubi Saxo-

Saxonum principes in tantum splendoris fastigium sustulerunt Germaniam, quantum postea nunquam obtinuit. Et ut singulari omnium liberalium artium laude patria nostra hodie floret, sic etiam in antiqua Saxonia semper viguit litterarum amor, nec unquam ab irruente in nostras regiones barbarie penitus potuit extingui. Omnem igitur etiam eorum, quorum vires tenuiores sunt, concursum meretur venerabilis Societas Iablonoviana, quae opera historici dissertationis huius argumentum esse voluit, qui etiamsi summorum regum res gestas celeberrimas posteritati non tradidisset, tamen in historia virorum eruditorum, qui in Saxonia inclaruerunt, omni laude memorandus foret.

---

## Cap. I.

### *De Witechindi Vita.*

Witechindus [1]) in Saxonia [2]) patre, ut ex loco scriptoris cuiusdam vetustissimi divinare licet, paupere [3]), circa annum

[1]) In ipso scribendo nomine auctores valde dissentiunt. Apud Trithemium legitur, Vindichinus; apud Sigebertum Gemblac: Witichildus; idem auctor in lib. de illust. eccles. script. cap. 136 scribit: Winduchindus. Antonius Florent. Vindechildus; Gobel. Persona: Witikindus. Ioh. Cuspinianus: Windichildus. Meibomius (in Vita Witichindi) recte monet, nomen inditum a sapientia, quae Germanis Witte, sive Wite' dicebatur. Cf. praeterea Meib. Irmins. Sax. c. XII. 44. Sed videamus, utrum scribi debeat Witechind an Witechild. Meibomius, qui caruisse videtur Anglicae linguae scientia, hanc scribendi rationem ut plane falsam statim abiicit. Quod nobis non ita videtur. L et N. saepius permutantur, e. g. in Graeco sermone, cui nostra lingua cognata est, ubi in dorica dialecto saepissime *ν* ponitur, quo

annum 930 4) natus est. Praeterea nulla parentum primaeque eius pueritiae, ne regionis quidem aut oppidi, ubi pri-

loco in Ionica et Attica dialecto λ poni debet. Ita in ipsis Witechindi Annalibus, ut et in aliis eius temporis scriptoribus Bar*cin*ona legitur, quae nunc Bar*cell*ona vocatur. Sic legimus porro Nuceria et *L*uceria, quod hodie Lucera nuncupatur. No*mentum*, quod nunc *L*amentana, Ondu*l*sthetin et Hodu*n*sthetin, quod nobis Oldestee ad Travam fluvium est. Sed quid multa? In Anglica lingua Child dicitur Kind; Angli autem, ut notissimum est, ex Saxonica stirpe profecti sunt; quare forma haec, cum praeterea in Codd. reperiatur, nobis quidem verior videtur. Accedit etiam, quod in monumentis Germanicae linguae antiquis Ch pro K saepissime usurpatum sit. In iureiurando Caroli Calvi; fol*ch* legitur pro Vol*k*: et in Notkeri psalm. primo (in Schilt. thes. teut.) den*ch*et invenies pro: den*k*et. Quamquam vero formam hanc, sc. Witechildus, veriorem esse arbitramur, idcirco non hortamur, ut vere ita scribatur. Nimis enim iam illi communi scribendi modo adsueti sumus, quam ut rectiore uti iuvaret. — Duos fuisse huius nominis Saxon. Rer. script. contendunt Pantaleon et Irenicus, ille in Prosopographiae part. II. hic in Exegeseos Germaniae lib. 12; quam sententiam haud dubie falsam, cum apud nullum alium auctorem reperiatur, ex varia potissimum scribendi nominis ratione natam putamus; sc. haud verisimile est, duos scriptores eodem nomine praeditos, eadem ex gente oriundos, eandem tractantes materiam, eodem tempore exstitisse. Ceterum uterque omni testimonio destitutus est. Cf. Paullini Theat. illust. Corb. Sax. vir. p. 101.

2) Hoc ipse innuit in Annalium primordio, haec dicens: „Nemo me miretur *principum nostrorum* res gestas litteris velle commenmendare: quia in illo opere professioni meae, ut potui, quod debui, exsolvi: modo *generis gentis meae* devotioni, ut queo, elaborare non effugio.“

3) „Pueri quoque bonae indolis nutriebantur (sc. in Corbeia) optime et licet opibus essent pauperes, religione tamen sancta pollebant.“ Haec auctor antiquae de Translat. S. Viti in Corb.



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/135

mos vitae annos degerit, accuratior cognitio ex ullo loco hauriri potest. Luculentae, quae in puero eminebant, excellentissimi ingenii dotes et nominis caussa videntur fuisse et delationis pueri in Corbeiam Novam [5]), quae omnium

Nov. narrationis in Meibom. coll. script. rerum Germ. tom. I. p. 765. Ob nominis tamen similitudinem, qua celeberrimae principum Saxonicorum prosapiae videretur cognatus, et ob amicitiam, qua Imperatoris filia eum est amplexa, contrariam potius sequeremur sententiam; cui etiam assentit doctiss. Goës, in Rein. Reineccii de Angar. et Witt. mon. com. animad. dicens: „Non dubito tamen, quin hic noster ex claro honestoque stemmate ortus fuerit."

[4]) Meginradus, ut infra docetur, regimen scholae Hirsaugiensis aggressus ao. 944. maxime floruit ab eod. anno usque ad 960, quo tempore noster ad eum fecisse videtur iter illud (de quo infra agitur), quod neque a puero vel etiam adolescentulo suscipi poterat, nec a sene, sed virili potissimum aetati conveniebat. Igitur tricenarius circiter fuit Witechindus, hoc iter faciens; unde sequeretur circa annum 930. Witechindum natum fuisse.

[5]) Nova appellata est respectu veteris Corbeiae, quod erat Monasterium in ea Belgicae Galliae parte, quae Picardia nominabatur. Hanc Corbeiam Novam condidit Ludovicus Pius anno 822. cum Bernardum fratris filium maiestatis reum occoecari et in monasterium detrudi iussisset. Triduo post Bernardus mortuus est, qua re Ludovicus vehementer commotus ex consilio episcoporum suorum suadente ipsius conscientia monasterium hoc in Saxonia condi curavit. Cf. Annal. Corbei. et Chron. Huxar. in Paullini Syntagm. rer. Germ. p. 449. eiusd. Diss. V. ibid. de Advocat. et Custod. Lips. S. Viti. Schatenii Annal. Paderbornenses part. I. p. 54. 76. Theganus Vita Lud. cap. 23. Teschenmacheri Annal. Cliv. ed. Dithmari p. 110. et Anonym. Narr. de Transact. S. Viti cit. Vt autem coenobium hoc omnia fere alia in Saxonia vetustate superabat, ita etiam utilitate studiorum omninoque litterarum amore ceteris erat praestantius. Primaria aliquot seculis utriusque Saxoniae schola appellatur a Ziegelbauero hist. litt. ord.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/136

omnium eo tempore in Saxonia scholarum celeberrima habebatur. „Erat enim his temporibus in monasteriis S. Bened. haec consuetudo celeberrima [6]), ut scholae monachorum in singulis paene coenobiis haberentur, quibus non seculares homines, sed monachi moribus et eruditione praeficiebantur ornatissimi; qui non solum in divinis scripturis docti essent; verum etiam in Mathematica, Astronomia, Geometria, Musica, Rhetorica, Poësi, et in ceteris omnibus litteraturae huius seculi partibus eruditissimi habeban-



S. Bened. tom. I. p. 221. Vide praeterea Pogium ap. R. P. Pichler in hist. Imp. Germ. tom. III. de Ludov. Pio part. III. cap. 2. n. 43. Palladium eam vocat, et ornamentum totius Saxoniae Pet. Visselbecius Chronogr. Huxar. p. 2. Et Browerus in Antiqq. Fuldensibus. cap. 9. 38. ubi loquitur de Corbeia, „si nullum aliud, inquit, monasterium, nullam aliam scholam aut eruditos viros habuisset Germania, vel unica Corbeia universo suffecisset imperio." Praecipue commemoranda est Bibliotheca Corbeiensis egregia, codicibus manuscriptis ditissima, qui omnes furentibus haereticis in Guelferbytanam Bibliothecam transierunt. Vi. dIust. v. Einem in Comment. I. de Bergensis coenobii Biblioth. §. I. p. 4. qui ita loquitur, „celebritatem eximiam posteris temporibus habuit Bibl. Fuldensis, raris et antiquis Mstis decorata, maiorem vero Corbeiensis vetustissima et prima Saxoniae Bibliotheca." Id. Ziegelbauer lib. laud. I. 487. de Taciti Annalium quinque libris primis Corbeiae repertis adi Meibom. in Vita Witechindi tom. I. script. R. G. —

6) Verba sunt Trithemii in Chronico Hirsaugiens. ad an. 890. Sed quomodo intelligendum: consuetudo celeberrima? Scripsisse videtur Trithemius: „consuetudo saluberrima" quod facilius intellectu est. Praeterea notes, septem has artes liberales ab eius aetatis hominibus trivii atque quadrivii nomine esse dictas: „triplici enim et quadruplici via itur ad sapientiam." Vid. Moeser's: *Osnabrückische Geschichte.* Tom. I. p. 372. not. e.

bebantur.“ Receptus igitur in scholam Corbeiensem Witechindus, omnem sine dubio iis, quae discenda erant, operam dabat, ut multa ingenio, plura singulari, qua litteris incumbebat, assiduitati deberet. Moribus honestissimis, summaque legum atque regularum observantia omnium, quibuscum vivebat, sodalium, amorem sibi conciliabat, sicuti Dei gratia, haud ficta pietate et animi candore erat dignissimus 7), neque vere solum inter monasterii sui claustra honore et gloria fruebatur, sed per remotiores etiam regiones nomen eius ferebatur honoratissimum. Praecipue carus erat Mathildae, Ottonis M. filiae, Quedlinburgensi Abbatissae, quae, ut ex Witechindi ad eam praefatione, ita etiam ex aliis monumentis 8) apparet, litteras, quarum haud ignara fuit, diligentissime colebat. Sed et ipse viros eruditos, tum in suo monasterio, cum in aliis viventes, pie venerabatur. Sufficiat iter eius commemorare, quod Meginradi, monachi et scholastici Hirsaugiensis, fama celeberrima excitus 9) suscepit. Is successerat

7) In Corbeiorum Phrontisterio repertus est liber egregius deauratus et gemmis ornatus, quatuor Evangelia continens, quorum initia maxime variis et nitidissimis litteris excolorata sunt, eum versibus aliquot Witechindi, in quibus peccata sua deo aperit, et, ut sibi ignoscat, precatur. Vid. Letzner. in Vit. Lud. c. 19. Meibom. in Script. rer. Germ. tom. I. p. 627. His tantus pietatis atque innocentiae color inest, ut de auctoris candore et vera poenitentia non dubitari possit. Cf. Mabill. Annal. tom. III. p. 617. Ziegelb. lib. laud. tom IV. p. 10.

8) Sic ipse noster in fine lib. III. Annal. Ditmar. sub finem lib. III. Meibom. in not. ad Wit. praef. et Annal. Hildesh. Chron. Saxon. de Mathilda.

9) Ipse Witechindus Meginradum laudavit in lib. „De studiis „veterum“ his verbis teste Trithem. „monachorum ille doctis-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/138

serat ao. 944. [10]) Diethardo, illustri quondam Hirsaugiensis scholae doctori; tantaque eruditionis eius atque eximiae sapientiae opinio erat, ut undique ex monasteriis mitterentur, quos excolendos atque erudiendos vir celeberrimus curaret. Sed de Witechindo quoque iam tum multus inter monachos sermo; uterque igitur spe proxima alterius videndi, amplectendi, alloquendi magnopere concitatus. Convenere. Diu Meginradum, senectute et frontis serenitate venerabilem, Witechindus intuens „Salve, inquit tandem, qui es alter Hieronymus, qui nulli veterum es inferior“ mutuis deinde amplexibus datis colloquio fruebantur optatissimo. Tantum ibidem cognovit studium et monachorum in scrutandis scriptis fervorem, totque doctissimos reperit viros, ut neque Hirsaugiam, neque Meginradum [11]) satis se posse admirari, exclamaret. Paullo post Corbeiam regressus est [12]). Qua vero insigni litterarum laude floruerit, qua sapientia omnes monasterii sui monachos reliquerit, electio eius in locum scholae monasterialis, documenti instar est

„simus praeceptor, veluti Hieronymus alter divinarum interpres „scripturarum profundissimus sua „nos eruditione vertit in stupo„rem, ut vere coelestis sapien„tiae dici queat armarium, quip„pe quem nihil latet doctrina„rum.“ Mabillonio tamen Annal. tom. III. p. 578. haec per αὔξησιν dicta videntur; unde eorum fidem vult esse penes Trith. Zieg. lib. laud. II. 26.

[10]) Trithemius in Chronico Hirs. ad hunc annum.

[11]) Memoratu dignum est, inter scripta Meginradi referri a Trithemio Lib. de Comput. Eccles. et: *Epistolas ad* Witechindum, Corb. Nov. monach. et scholast. Vid. Mabill. Annal. Bened. III. 578.

[12]) Sumta est haec itineris narratio ex Trith. lib. saep. laud. ad a. 954. qui id scripsisse dicit in libro deperdito, „De studiis veterum.“

est certissimi atque luculentissimi.“ Constituebantur enim ad officium docendi alios monachi omnium doctissimi, et non solum in divinis, sed etiam in secularibus litteris eruditi, ad quos ex inferioribus gradu coenobiis mittebantur monachi altioribus disciplinis instituendi [13]). In hoc munere obeundo Meginradi potissimum stimulatus exemplo per reliquum vitae tempus, quod quadraginta annis plus complectebatur [14]), omnem curam in informandis excolendisque discipulis posuit; quod quidem ita feliciter gessit, ut illo haud inferior mox exstiterit. Permultos discipulos post se reliquit eruditissimos, teste Trithemio, ex quibus haud pauci ad episcopi et abbatis dignitates postea sunt evecti. Hoc tempore scripsisse videtur Annales, qui soli de operibus eius nobis supersunt [15]) — Nihil quidem certi de vero eius obitus tempore comperiri potuit, hoc tamen scimus, ante annum 1004 eum decessisse; eo scilicet anno Hosesus, Corbeiae abbas decimus quartus, monumentum nostro erexit [16]): imo etiam ante annum 980. quo anno Otri-

[13]) Trith. Chron. Hirs. ad annum 952.

[14]) Sic auctor libri, qui inscriptus est: *Bibliotheque générale de l'ordre de St. Benoit. Tom. III.* „*Witichind — — — einseigna les belles lettres avec succès durant plus que 40 ans.*“ —

[15]) Hoc discimus ex loco prologi tert. Annal. libri, ubi Witechindus de Ottone I. patre Mathildae tanquam vivente adhuc loquitur: „in Africam Asiamque patris tui iam potestas protendatur“ itaque, ante annum 973. tertium librum inchoaverit, necesse est.

[16]) In Paullini rer. Germ. Syntag. p. 383. ex vet. Chron. Corb.: „monumentum erexit Wituchindo nostro historico Hosat Abba, quem „Pium et doctum scholae magistrum, vocat, et historicum etiam Regi et Reginae dilectum.“ In Anonymi Annal. Corb. ap. Leibnitz. script. Bruns. illust.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/140

Otricus floruit, qui eum secutus in munere scholastico, deinceps Archiepiscopus Magdeburgensis electus est. Conf. de eo Ziegelb. lib. laud. I. 224.

Haec sunt omnia, quae de auctoris huius celeberrimi vita propter hominum negligentiam et propter diurnum historicorum silentium, quo obrutus diu iacuit, pro ingenii tenuitate colligi potuerunt.

---

## Cap. II.
### *De Witechindi scriptis deperditis.*

Praeter Annales multa fertur scripsisse, quae invidia temporis nobis abstulit. Siegebertus Gemblac., ac post eum Trithemius opera Witechindi recenset, in lib. de script. ecclesiast. illust. et ordin. S. Bened. cuius locum adscribendum duximus integrum, ut lectt. benev., quid ex illo cognoscere liceat, ipsi videant: „Widichindus, monachus „Corbeiae coenobii in Saxonia, vir in divinis scripturis „doctus et in secularibus litteris eruditissimus, ingenio „promtus, et clarus eloquio, metro excellens et prosa, „scripsit utroque stylo multa praeclara opera, quibus no„men suum posteritati consecravit; ex quibus ego tantum „vidi subiecta:

1) „Ad Mechthildam filiam Ottonis I. De gestis Saxonum „lib. III.
2) „Ad eandem gesta Ottonis I. lib. I.
3) „Sermones ad fratres, lib. I.
4) „Epistolarum ad diversos, lib. I.
5) „Vita divi Paulli, primi eremitae prosaice et metrice, „lib. II.

6) „Pas-

6) „Passionem Teclae virginis scripsit (sic enim lego siglam) metrice lib. I.

7) „Epigrammaton, lib. I.

„Alia insuper multa scripsisse dicitur, quae ad notitiam „meam non venerunt." Haec ille. In enumerandis vero Witechindi operibus, haud parvae negligentiae accusemus Trithemium, qui, quamvis ipse Witechindi tractatu: De Studiis veterum, ad componendum Chronicon Hirsaugiense vsus fuerit, nullibi tamen in lib. citat. eius mentionem facit. De tractatu ipso vid.: Vit. Nat. Alex. Hist. Eccles. tom. VI. Sec. X. Ziegelb. lib. saep. laud. tom. IV. p. 509. ubi dicit: „Qui tamen (sc. lib. de Stud. Vet.) quod sciam dudum in deperditis habetur. Ab aliis quibusdam recentioribus tribuitur etiam Witechindo: *Historia originis* Archiepiscopatus Magdeburgens. (vid. *Biblioth. générale des ecrivains de l'ordre de St. Benoît*, tom. III. Moreri Dict. sub voce: Witichindus) et *Vita Mathildae*, Quedlinburgensis Abbatissae, ut scribit Mabillonius Annal. Bened. tom. III. p. 591. qui Vitae huius fragmentum, ut ita loquamur, servavit: „In quo (sc. monast. Nordhusan.) tria millia sororum Deo et Beatae Mariae famulantium sub Richburga Abbatissa congregasse memoratur apud Witichindum eius vitae scriptorem. Videamus autem quid de singulis, apud Trithemium memoratis, habendum sit.

1) *Annales Saxonum*, quos cum habeantur adhuc, diligentius consideratos videbis in iis, quae huic adiunximus, capitibus.

2) *Ad eandem gesta Ottonis I.* Quem librum ab Annalibus diversum prius scripsit, si fides habenda est Annalium initio, quam Annales ipsos. Ibi enim: „Post ope-

operum nostrorum primordia, ipse ait, *quibus summi Imperatoris triumphos declaravi* etc. Fuit fortasse panegyricus magis, aut elogium Ottonis, quam fidelis et historica Ottonis Vitae narratio.

3) *Sermones ad fratres.* Orationes erant sine dubio, quas in coetu monachorum, inter ritus sacros, sive tanquam scholae praefectus habere debebat; hoc enim innuere videntur verba Trithemii, l. c. *clarus eloquio.*

4) *Epistolarum* (sic enim intelligenda vocabuli abbreviatura) *ad diversos*, lib. I., praeter titulum totus periit, nec unquam eius invenimus mentionem [17]). Quod de tribus etiam sequentibus opp. dicendum est; vita Paulli, iuvenis cuiusdam Thebis Aegypt. oriundi nobilissimi, qui, primus ab omnibus sese excludens hominibus, vitam in desertis degerat, et Passio Theclae [18]) ex Baron Annal. 47. notae sunt.

---

## Cap. III.

### *De Annalium indole et ingenio auctoris.*

Cum reliquum sit, ut de Annalibus, eorumque auctoris ingenio et inprimis de fide historica loquamur, non alienum a re, imo necessarium videtur, hoc loco de statu litterarum, qualis Witechindi tempore fuit, pauca praemittere.

Nullum

[17]) Aliquas earum ad Meginradum fuisse scriptas coniici licet ex epistolis huius supra commemoratis.

[18]) Scripsit (ut ait Sigebertus) egregio poëmate Theclae Passionem. De Theclae templo cf. Joh. Mülleri *Schweitzer-Geschichte* I. 150.



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/143

Nullum enim mediae aetatis seculum tantam virorum doctorum iniuriam passum est, quam seculum decimum, quod nostris quoque temporibus plumbei, obscuri et sterilis cognomine insignitur, ac si reliquis aetatis illius, quam mediam appellant, seculis artium et litterarum studium egregie floruerit. Signa in hac caussa tulit Gatterer in progr.: De Gunzone Italo, qui seculo X. obscuro in Germania pariter atque in Italia laude floruit, ad illustrandum rei litterariae statum seculo X. Götting. 1756. 4. Quem nuperrime secutus est Frid. Astius, philol. Prof. in Acad. Landsh. in libro: *Grundriſs der Philologie von Fr. Ast. Landsh.* 1808. 8. p. 556 sq. [19]) Quanquam vero ab operis consilio abhorret, copiose horum argumentis respondere, pauca tamen de eorum argumentorum gravitate disputare liceat. Primum hoc in rem suam afferunt, quod viri eruditi rari tantum inclaruerint [20]). Quod ex parte quidem verum est. Inde enim a barbarorum incursionibus in imperium

19) Huic sententiae, quamquam mediocriter, repugnat C. A. Frommann: Prr. IV. seculum X. prae ceteris medii aevi nomine obscuri insigniendum non esse. Coburg. 1770. in Mus. Casimir. P. I. p. 332.

20) Ne nimis longus sim, paucos tantum enumerabo, qui iis, quos iam laudavi et infra laudabo, addi possunt: Flodoardus († 966) Archivarius et Canonicus Rhemensis, cuius praeter alia, quae partim edita sunt, partim mspta Treviris asservantur, Chronicon exstat (919 — 966.). Herigerus († 1007.) Abbas Laubens. rer. publ. haud expers, Gesta Pontiff. Tungrensium reliquit. Burchardus episc. Wormat. († 1025 siv. 1026.) decretorum libros XX. edidit. Adelboldus ex illustri prosapia Leodii oriundus, Imp. Henr. II. Cancell. postea episcop. (Vltrai. († 1027.), vir eruditus, miles strenuus, in rebus publicis optime versatus, vitam Henrici II. scripsit ap. Leibn. Scr. Bruns. tom. I. p. 430.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/144

rium Romanum usque ad seculum XIV, ubi Petrarcae aliorumque praestantissimorum virorum indefesso studio litterae reviviscere coeperunt, nullum facile tempus invenias, quo litterarum amor coenobiorum muros egressus optimi cuiusque et illustrissimi animum magis corripuerit. Eorum vero seculorum nulli, neque copia neque praestantia virorum eruditorum nostra aetas cedit. Altero argumento utuntur, quod omnis doctrina trivio et quadrivio inclusa fuerit. Vt vero omittamus, hanc litterarum divisionem postea quoque diu multumque valuisse; cuiusmodi formae inanes, quae ex indole illius seculi prodierunt, magna detrimenta litterarum vere studioso afferre non possunt. Tertium vero argumentum: huius seculi barbariem exinde optime posse cognosci, quod Gerbertus in scholis Hispanicis Arabum disciplina usus, physicas et mathematicas artes edoctus, incantamentis uti, ab omnibus dictus fuerit, ipsis seculi nostri adversariis perniciosissimum est [21]). Nonne enim idem vir in schola archiepiscopali Rhemensi philosophiam, mathematicen, et antiquarum litterarum scientiam, non solum multos annos profitebatur (968—991.), verum etiam, cum et Rhemorum et Ravennae archiepiscopus fuisset, Papa creatus est [22])? Prorsus aliam de re

 lit-

[21]) Etiam plane falsum est. Benno enim exeunte seculo XI. primus fuit, qui criminis huius accusaretur. Vid. Montucl. hist. d. Math. I. p. 499. ed. recentiss. — *Naudé Apologie pour les grands hommes, soupçonnés de magie*, p. 389.

[22]) Vid. Albert. Fabricii Biblioth. lat. med. et inf. aet. sub voce Gerbert vol. III. editio Schöttgen. — *Histoire litteraire de la France*, Tom. VI et VII. et *Jagemanns Geschichte der freyen Künste und Wissenschaften in Italien*, T. III. 1. p. 31 sq. Eius epistolae (ap. Duchesnium T. II. ad illustrandam sui temporis hi-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/145

litteraria seculi X. sententiam tulit magnus Iohannes de Müller, quem omnes adhuc pie lugemus, in libello: *Essais historiques* p. 22. cuius verba haec sunt: „*Les lettres fleurissoient; Solomon evêque de Constance, publia l'Encyclopédie de toutes les connoissances; Virgile et Horace firent les delices de la cour; on lisoit le grec.*“ Copiosius et doctius haec idem tradit in *Geschichte der Schweitz. Eidgen.* lib. I. Addendus est alius locus ex *Fr. Ern. Ruhkopf Geschichte des Schul- und Erziehungswesens in Deutschland*, tom. I. p. 33, qui legatur, dignissimus est; „*Und denkt man an die würdigen Erzbischöffe und Bischöffe dieser Zeit, an Bernward in Hildesheim und seine Zeitgenossen, Meinwercus und Imadus in Paderborn, an Heinrich in Trier, an Bruno in Cöln u. s. f. deren Gelehrsamkeit und Thätigkeit die Zeitgenossen nicht genug zu erheben wissen; so wird man schwerlich anstehen, diese Periode, in welcher die Wissenschaften unterstützt, und die Bibliotheken angelegt wurden, für die blühendste und hoffnungsvollste im ganzen Mittelalter zu erklären. Eine Periode, welche einen Tangmar, Wittichind, Ditmar, Lambert aus Aschaffenburg, Adam von Bremen, Luitprand, Cosmas — er bildete sich, wie selbst sagt, in Lüttich — und andre vortreffliche Männer hervorbringen konnte, verdient allerdings die Achtung der Nachkommen! Noch mehr, wenn man die Beschwerlichkeiten in Anschlag bringt, welche einer nur mittelmäſsigen Ausbildung im Wege stan-*

storiam, rectiusque cognoscendum reipublicae et litterarum statum multum faciunt. Cf. *Beck Anl. zur W. und Völk. Gesch.* T. III. p. 263.

*standen! Deutschland hatte noch keine Städte, wenig innern Verkehr, und in vielen Gegenden eine Menge wüster, waldichter Landstrecken. Die Klöster lagen weit aus einander, und die Mittheilung der Kenntnisse wurde auf mannigfache Art erschwert. Es war kein anderer Weg übrig, seine Ideen mit andern trefflichen und gebildeten Menschen umzutauschen, folglich zu berichtigen und zu bereichern, als weite, mühsame und gefährliche Reisen von einem Kloster, oder von einem Dome zum andern. Wie groſs muſste also der Durst nach Kenntnissen seyn, der den Scholasticus Wittichind antrieb, von den Ufern der Weser die beschwerliche Reise nach Hirschau in Schwaben zu unternehmen, um den berühmten Scholasticus Meginrad zu besuchen und seinen lehrreichen Umgang zu benutzen.*" — Sed haec sufficiant. — Dietmarus, Abbas Fuldensis (teste Trithemio, pag. 35. ed. Basil. ap. Herv.) non solum doctus fuit, sed etiam tam in Romana lingua quam in Allemannica eloquentissimus, et tam idoneus ad persuadendum, ut rarus exstiterit, qui eius sententiae contradixerit. Hroswitham ingenio ac doctrina pariter insignem nominare satis est [23]. Meinwercus [24] episcopus Paderbornensis et Bernward Hildes-

23) Eius scripta edidit H. L. Schurzfleisch. Viteb. 1707. 4. ceterum cf. *Wüstemann Geschichte der Roswitha.* 1758. 8. *Schröckhs Lebensbeschreibung berühmter Gelehrten.* Tom. I. S. 3 sq. et *Beck Anleitung zur Welt- und Völkergeschichte.* T. III. p. 264.

24) Vita Meinwerci ap. Leibn. script. Bruns. Tom. I. pag. 617. et Vita St. Bernwardi, auctore Tangmaro, ibid. Tom. I. p. 441. (Tangmarus studia Bernwardi moderatus fuerat, quod alii negant: „*Schade, daſs dies Leben nicht* „*von dem Lehrer, sondern von* „*einem spätern Tangmar beschrie*„*ben ist.*" *In Gesch. des Schul-*

deshemensis, Ottonis III. praeceptor et amicus vel ab illis praedicantur, qui seculum, de quo loquimur, plumbeum vocare solent. In coenobio St. Galli, quod ab initio principum aliorumque genere clarissimorum filios aluit [25]), libri sancti tanta diligentia legebantur, ut iam illo tempore monachi putarent, chronicis, Esther, Iudith et Maccabeorum libris non debere auctoritatem divinam tribui [26]). Scholae illic tunc praefuit vir acumine ingenii, doctrinarum copia, et morum probitate eminens, Eccardus († 996.), qui, cum aliquando Moguntiae in concilio esset, sex episcopos olim discipulos suos ibi invenit. In usu familiari tam urbanus fuit, ut Hadewig († 993.), Henrici Bavariae ducis filia, vidua Burchardi II. Suevorum ducis, unam e terris suis monasterio se donaturam promittere, si Eccardo liceret, relicto coenobio, in ipsius societate versari. Docta haec et ingeniosa mulier, cuius etiam soror doctissima fuisse perhibetur, Capellano suo Virgilium commendavit, tanquam Romanorum decus et gloriam. Flacci carminum, quae ceteris omnibus praetulit, exemplar, una cum dulcissimo basio Burchardo dedit formoso iuveni, qui graeci sermonis discendi causa ad eam venerat. Saepe Eccardus simul cum ea auctores veteres legebat [27]). Ecce Aspasiam seculi decimi. Ratbertus

*und Erziehungswesens von F. E. Ruhkopf.* Tom. I. p. 32.)

25) Vid. Ekkechard. iun. de casibus monast. St. Galli ap. Goldast. script. rer. Alemanic. et Hemmerlin de Nobilitate.

26) Vid. Notkeri notata de interpret. S. S. ad Salomonem in Pezii Thesauro Anecdot. T. I.

27) De his omnibus vid. Ekkechard. iun. de casibus monast. St. Galli, et Burchardi versus ap. eum. Cf. etiam *Müll. Schweitzer Gesch.* I. 236 et 277.

tus, eiusdem coenobii monachus, ex nobili Turicensium gente oriundus, Virgilium tanto studio perdidicerat, ut integros locos memoria recitare posset, et cum aliquando monasterio insidiae struerentur, in conventu, quem Senatum appellabant, exclamaret:

„Aut haec in nostros fabricata est machina muros.“ .

Notkerus Labeo († 1022.) Psalmos in Linguam Germanicam transtulit [28]). Salomo, Constantiae Episcopus, duodecim monasteriorum, in his St. Galli, Abbas, corporis dignitate elucens [29]), egregias ingenii vires mira pro illo tempore doctrina amplificaverat. Qui cum in diiudicandis rebus publicis summa esset subtilitate, summaque prudentia, admodum adolescens amorem Hattonis istius Moguntini obtinuit, quem historici dubitant, utrum peiorem an prudentiorem appellent. Pluribus regibus cum propter consiliorum praestantiam, tum propter elegantiam et urbanitatem in iocando carus, et fere necessarius. Ubi vero orationes sacras habebat, omnes, qui aderant, tam vehementer commovebantur, ut haud raro lacrimas funderent. Otto I. quamquam internis externisque bellis exercitus, scholis tamen singularem curam tribuit [30]). Neque Graeca lingua negligebatur. Non solum enim in monasterio St. Galli plures Graecarum litterarum amore flagrarunt, verum etiam in Lotharingia Graeci quidam et Iri monachi coenobium exstruxerunt, in quo omnia more et ritu antiquorum

28) Exstant in Schilt. Thes. Teut. T. I. p. 1.

29) Isonis (praecept. Salomon.) lib. de vir. ill. et *Stumpf Gem. löbl. Eidgen. u. s. w. Beschreib. Zurrich* 1606. Fol. lib. IV.

30) Vid. Ekkechard. iun. lib. saep. laud. et Lehmanni Chron. Spir. lib. V. c. 9.

quorum Graecorum peragebantur [31]. Imo etiam in ipsa Germania Osnabrugae Otto M. scholas Graecas institui iussit [32]. Optime autem de re litteraria meriti sunt, ut omnibus, ita etiam illis temporibus Benedictini [33]. Ita Trithemius refert, ad annum 890 in omnibus huius ordinis monasteriis consuetudinem fuisse, ut scholae haberentur (vid. supr. p. 130). Qualis autem illo tempore studiorum in monasteriis ratio fuerit, ex Rhabani Mauri lib. de Instit. Cleric. facillime perspicitur. Cum vero ad religionis cultum omnia referrentur, non credibile est, multos ex iis, quibus nulla cum monasteriis coniunctio erat, in litteras incubuisse. Quare impediebatur, quo minus illustrium stirpe nati, et per hos maximae civium partis animi emollirentur. Coenobiorum vero in Germania quatuor inprimis fuerunt, quae litterarum studio omnibus anteirent, Fuldense, St. Galli, Hirsaugiense et Corbeiense Novum. Meinwerci tempore in schola Paderbornensi praeter trivium et quadrivium etiam physicae et mathematicae artes tradi solebant. Viguerunt eodem tempore Horatius, magnus Virgilius, C. Sallustius, et urbanus Statius [34]. Multi prae-

31) *Hist. litter. de la France.* T. IV. p. 56. Notkerus Lamberto cuidam scribit: Salutant te Hellenici fratres.

32) Vid. Keuffel hist. schol. §. 51 sqq. cf. praeterea Launoy de celebr. scholis, ed. Fabricii p. 8. 10 sqq. *Meiners historische Vergleich. T. II. p.* 358 *ff.*

33) Vid. Ioh. Mabillon Vetera Analecta, T. IV. p. 159. ed. Paris. Fol. observat. de oblatione puerorum in monasteriis: Keuffel lib. laud. p. 143. et Conring. Antiqq. Academ. ed. Heumann Gott. p. 284. supplem. XXXII.

34) Vid. Vit. S. Meinwerci n. 52. 546.

„Viguit Horatius,
„Magnus et Virgilius
„Crispus ac Sallustius
„Et urbanus Statius.“

praeterea erant, qui versibus componendis operam darent, iucundisque cantibus. Hirsaugiensis scholae praefectus erat Meginradus, qui gravitate morum pariter ac doctrina et ingenio omnium, qui in eius familiaritatem venerant, amorem et admirationem statim adeptus est. Quanto litterarum studio omnes viri huius discipuli arserint, etiamsi Trithemius hoc nobis non tradidisset, ex Witechindi ad eum peregrinatione huiusque honorificentissimo de eo testimonio satis superque prodiret.

Witechindus a natura sine dubio splendidis ingenii dotibus praeditus erat, quas doctrina ornare et augere studuit. Novit enim non solum poëtas latinos, ut Lucanum, ex quo locum affert, ubi de Saxonibus agitur, verum etiam historicis veteribus assiduum studium impendisse videtur. Iornandem de rebus Gothicis et Iosephi historiam (num graeca oratione, adhuc dubitamus) [35]) legerat, et Tacitum etiam imitatus esse videtur [36]). Primus est, qui inde a Caroli M. aetate exstitit, historicorum Saxon. magna laude non indignus. Erat enim ante eum haec consuetudo, ut, quaecunque gesta erant, sine omni, nisi temporis nexu, a rerum publicarum prorsus ignaris, ita litteris mandarentur, ut magna sagacitate utendum sit, ad verum rerum statum ex istorum libris eliciendum Magnis igitur laudibus attollendus est Witechindus noster, quod trita illa via derelicta, aliud novum iter instituerit. Ante omnia persona-

35) Nisi quis eam ob caussam putet Witechindum graecae linguae non prosus expertem fuisse, quod eorum Mythologiam cognovit. Sed de his infr.

36) Eandem tuetur sententiam Schmidius (*Gesch. der Deutsch.*) *Bd. IV. c.* 7.

sonarum, de quibus agit, indolem ac mores explanare studuit; qua in re tam certus est, ut diligenter eius morum descriptiones, cum eorum hominum rebus gestis comparanti et consideranti aevi indolem, summam admirationem eripiat. Vide tantummodo Thancmari (p. 645. ed. Meib.) mores, Henrici, fratris Ottonis I., Chuonradi (p. 649.), Ottonis I. (p. 653 et 658.) aliorumque. Raro enim alicuius res gestas describit, cuius non etiam mores et habitum brevi praemitteret. Ex his autem morum descriptionibus, quae non ita comparatae sunt, ut fuisse eas ingenii lusus putares et ad inania orationis ornamenta compositas, coniiciendo assequi possumus, Witechindum quibusdam ex illis viris familiariter usum fuisse [37]). Erat enim animo tam candido, tamque cautus in credendo [38]), ut quisque persuasum sibi habere possit, has descriptiones omnem fidem mereri. Facile etiam fieri potuit, ut in potentissimorum virorum cognitionem veniret, cum ex ipsius Annal. (p. 648.) certiores fiamus, usitatum illo tempore fuisse, potentes et nobiles rebelles in monasteriorum exilia mittere. Ceterum in primis dilectus est a Mathilda, Ott. I. filia, cuius ex ore multa comperire potuit.

Neque illud obiici potest, quod in rebus prioribus enarrandis eundem morem sequatur. Non solum enim antiquo Chronico Corbeiensi usus esse videtur, ex quo ea

[37]) In fragmento monumenti, quod Hosat ei erexit (v. sup. p. 134.), dicitur carus fuisse regi et reginae, quae Adelheid fuisse videtur, cum regi sit apposita; alias enim forsan dixisset: eius filiae.

[38]) Iis rebus, quas pro certo non habuit, addere solet, se iudicium de huius rei fide lectori relinquere.

ea sumsit, verum etiam hae morum descriptiones ab illis, ubi suo iudicio uti potuit, valde discrepant. Vt enim illic in universum loquitur, ita ex eorum virorum ingeniis, quos aut ipse viderat et audierat, aut e certorum hominum sermonibus cognoverat, ea potissimum exhibet, quae quo ipsis sunt magis propria atque singularia, eo clariorem nobis reddunt imaginem. Ut in rebus, ita etiam in oratione Taciti imitator exsistit. Hoc autem minus ei successit. Eius enim oratio obscura (alio tamen sensu, quam quo oratio Taciti: hic e brevitatis studio fit obscurus, ille ipse vitio orationis, quae ingenio linguae latinae non raro repugnat) et dura est, quamquam alicubi luminibus oculisque rhetoricis distincta. Qui vero considerat, quam barbare alii eiusdem aevi v. c. Ditmarus Mers. loquantur, et quam difficile sit, eo tempore, quo plures linguae, quarum una nondum exculta, altera loquentium ignorantia in barbariem detrusa est, secum quasi luctantur, eo, inquam, tempore, tantum non horride scribere, is profecto elegantem et classicam Witechindi orationem mirabitur. Neque loca desunt pulchra et vere poëtica, quorum unum tantum afferam, etiam alias ob caussas memorabilem: „(Otto I.) „pietate erat clarus, opere omnium mortalium constantis„simus: praeter regiae disciplinae terrorem iucundus, „dandi largus, dormiendi parcus. Ingenium ei admodum „mirandum; nam post mortem Edidis reginae, cum antea „nescierit [39]), litteras in tantum didicit, ut pleniter libros „legere et intelligere noverit. Praeterea romana lingua „sclavonicaque loqui sciebat: Sed rarum est, quod earum „uti dignaretur. In venationibus creber, tabularum ludos

 „amat,

[39]) Ita interpungendum est pro vulgato: nescierit literas etc.

„amat, (melius: amans), equitatus gratiam regia gravitate „interdum exercens. Accessit ad haec moles corporis, „omnem regiam ostendens dignitatem, capite cano, spar„sus capillo, oculi rutilantes, et in modum fulguris cita „repercussione splendorem quendam emittentes: pectus „leoninum quibusdam sparsum iubis: venter commodus (i. „e. *schlank*), incessus quondam citus, modo gravior."

Sed ne quis eiusmodi loca, quae apud Witechindum saepius inveniuntur, ad otiosum et declamatorium ornatum addita esse putet; paucis dicendum est, quanti omnes Germanicae nationes fecerint pulchritudinem corporis, ita ut, in regibus praecipue, non raro ingenii virtutibus anteposuerint [40]). Ne vero nimis eius orationem laudare videamur, de nonnullis vitiis copiosius agamus. Contra linguae ingenium duplici potissimum modo peccat. Primum verba romana germanico more construit; sic una periodo subiectum tam saepe mutat, ut omnis concinnitas plane perdatur. Deinde, quod saepissime factum est, tempora male coniungit, et quidem tam frequenter, ut haud sciam an non interdum id consilio fecerit. V. c. p. 629. ab initio: Saxo aperit (pro aperuit) sinum, et accepit humum p. 632: flectitur tamen Thiadericus, promisitque etc. Sed haec levia sunt.

Witechindus unum tantum habet gloriae socium et aemulum, Luitprandum, Ticinens. episcopum, qui, etiamsi fidem maiorem non meretur, tamen elegantius scribit, litteris graecis eruditus, etiam militaris scientiae non ex-

pers

[40]) Exempla affert Saxo Gram. II. p. 30. VII. p. 194 et p. 218. ed. Klotz. Lips. 1771, 4. *Meiners Gesch. d. Ungl. der Stände. Hann.* 1792. T. I. p. 41. not. V, et passim.

pers [41]). In negotiis publicis prudentiſsimus, ut eius legatio abunde docet, neque hoc mirari subit, cum Ott. I. eo in caussis pluribus gravissimis usus sit, ubi Luitprandus idoneam occasionem habuit, eam sibi prudentiam civilem parandi, sine qua Magnus historicus nunquam esse potest. Ditmarum vero Witechindus noster multis nominibus longe superat, qui inter eos quidem, quos Cicero: „Annalium Confectores „appellat, longe eminet, et in iis locis, ubi superstitioni non locus erat, propter animi candorem fide dignus est, historici vero virtutibus caret.

Nullam igitur dubitationem restare arbitramur, quin Witechindus ingenii acumine, doctrinae copia, prudentia rerum publicarum et singulari fuisse animi simplicitate [42]) credatur; rerumque quas narrat, testis locuples iudicetur.

Nobis vero huius capitis conscriptio iucundissima fuit, quia occasionem nobis suppeditavit, cum Witechindum, quem, quo saepius perlegimus, eo digniorem omnium studio putamus, tum omne seculum decimum plumbei nomine insignitum ab aliorum iniuriis [43]) breviter vindicandi.

[41]) Vid. Luitpr. rer. p. Europam gest. lib. II. c. 9. in quo capite etiam picturae exemplum apud Germanos occurrit: „Henricus I. cum Hungaros fugasset, hunc triumphum ad Meresburgum in superiori coenaculo domus per ζωγραφίαν, i. e. picturam notari praecepit, adeo, ut rem veram potius, quam veri similem videas."

[42]) Locus class. init. lib I.

[43]) Non inter has referendus est locus quidam in *Galletti Gescht. Thür. Thl. I. Einleit. S. XXIX.* „*Wir können über seine Geschicht-* „*schreiber-Treue nicht völlig ur-* „*theilen. Doch hat er offenbar* „*manches eingemischt, was sich* „*nur auf alte Sagen oder seine* „*Einbildung gründet.*"



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/155

## Cap. IV.

*Iudicia quaedam de Witechindi Annalibus, omissis iis, quae apud Meibomium leguntur.*

Rein. Reineccius in praef. ad Wit.: „Id iure in Witechindo „reprehendas, quod, ut ipse de se loquitur, solam famam „secutus, Saxonum originem plane fabulosam tradidit, et „reliquias exercitus Alexandri Magni fecit. Nec quae de „primordiis illorum in Germania habet, cum certiore Grae„ca et Romana historia conveniunt. Est etiam, quod de „Anglica et Francica Merovingorum historia desideres; si„cuti et nominis Angliae ab eo tradita notio plane ridicula „est." Haec Reineccius. Liceat nobis pauca addere. Witechindus solam famam ideo sequitur, ut ipse dixit, quia nimia vetustas, omnem fere certitudinem obscurat; quae quidem caussa satis idonea est. Licet enim historico, qui populi alicuius originem tradit, etiam fabulas narrare, dummodo ipse dicat, se fabulosi aliquid tradere, et aliorum, si quae sunt, opiniones, ut iudicio lectoris permittantur, adiungere. Idem Herodotus, Livius, et Velleius Pat. fecerunt. Neque illud tam acerbe in Witechindo vituperandum est, quod credidisse videtur, Saxones vere esse Macedonici exercitus reliquias, qui ea subsidia litteraria, quibus nos nitimur, non habuit. Deinde Reineccius plura ex Anglica et Francica Merovingorum historia, a Witechindo omissa desiderat. Ad haec quid respondeamus, non ambigimus. Vt enim omittamus, Witechindum ipsum profiteri, se strictim et per partes scripsisse, ne fastidiosus sit; illa, quae Angli Francique fecerunt, a consilio eius

Henri-

Henrici I. et Ottonis res gestas memoriae mandandi, plane aliena erant.

C. K. Wieland in: *Lehrbuch der deutschen Reichsgeschichte. Leipz.* 1788. *p.* 118: „*Gerbert, Helena Roswida, Witechind von Corvey, der den Tacitus nachzuahmen suchte, und Ditmar von Merseburg gehören zu den besten Köpfen dieses Zeitalters.*“

Adelung in Direct. p. 49: „*Witechinds Geschichte ist für sein Zeitalter classisch; er erzählt auch ordentlich und zusammenhängend, aber ohne Zeitbestimmung. Dagegen hat er Reden im Römischen Geschmack, die ihm der Geschichtforscher gern würde geschenkt haben.*“

C. G. Heinrich in: *Deutsche Reichsgeschichte. T. II.* 269: „*Unter den deutschen Geschichtschreibern sind Witechind und Ditmar vorzüglich berühmt geworden. Witechind, ein gebohrner Niedersachse, war Mönch des Klosters zu Corvey, wo er der Stiftsschule vorstand. Seine Geschichte Heinrich I. und Otto I. enthält zwar viel Fabelhaftes, doch schrieb er in einem ganz andern Geschmack, und zeigte weit mehr Belesenheit und Kenntnisse, als die frühern Annalisten.*“

F. E. Ruhkopf in: *Geschichte des Schul- und Erziehungswesens in Deutschland.* 1794. *Th. I. p.* 17: „*Corvey, wo Anscharius und Witechind als Scholastici oder erste Lehrer die Klosterschulen zu einem hohen Grade von Ansehen zu erheben wuſsten.*“

I. G. A. Galletti in: *Geschichte Thüringens. Th. I. Einl.* p. xxviii sqq.: „*Unter den Sächsischen Kaisern bildete sich ein Witechind und ein Ditmar, die der Sächsischen Geschichte einen neuen Schwung gaben. Diese*

*beyden*

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/157

*beyden groſsen Männer, welche mit den besten Geschichtschreibern der Römer bekannt waren, verfertigten historische Werke, welchen man die unaufgeklärte Denkungsart ihrer Zeitgenossen nur selten ansieht. Witechind — — verfertigte Jahrbücher, die von 449 — 937 (! 973) gehen. Ihm haben wir einen groſsen Theil von den Nachrichten der Zerstöhrung des Thüringischen Königreichs zu danken. Er entlehnte sie zum Theil aus ältern Quellen, die verlohren gegangen sind; wir können daher über seine Geschichtschreibertreue* (addiderimus: *in diesem Zeitraume) nicht völlig urtheilen. — — Einen gröſsern Grad von Glaubwürdigkeit hat die Geschichte des Ditmar* 44).“

---

## Cap. V.

### *Recensio Codd. et edd. De opera nostra ad novum codicem eruendum frustra adhibita.*

Quinque omnino codices manuscripti Witechindi Annalium exstant.

I. *Codex antiquus in Bibliotheca monasterii Casinensis*, quem opera Laurentii Zaccagnii, Bibl. Vatican. Custodis, Leibnitzius conferri curavit, eiusque lectiones ab

44) Ditmarum quoque errasse, unum tantum exemplum satis probabit. Lib. I. p. 641. ap. Leibn. script. Brunsuicens. illust. T. I. dicit, Henricum I. obiisse VI. Non. Iul. ao. 936. aetat. 60. cum regnasset annos 16. Quod falsum est. Regnavit enim annos 17. et aliquot menses, ut diplomata habent ap. Meibom. T. I. p. 739. Schaten Annal. Paderbornenses. P. I. p. 266. Hund. Metrop. Salisb. T. I. p. 90.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/158

ab editione Hervagiana diversas inseruit script. Bruns. ill. tom I. p. 221—232. Ibid. p. 208—211. ex eodem codice dedit: „summa capitum, ex quibus constant tres libri Widukindi;“ (quae alibi non leguntur,) quae quidem capita quam negligenter [45]) sint descripta, ex prima statim syllaba apparet. Primum enim caput ita inscriptum est: „*quia* alios libellos scripserit praeter istum,“ cum pateat usitatam istam abbreviaturam h. l. interpretandam esse: *quos*, i. e. cuius generis, sive etiam: *quod*. Ita capite 14: qualiter Saxones agros dividunt, et quia (quod) triformi genere ac lege vivunt. „cap. 22. Hinricus, c. 26. Henricus, c. 27. Heinricus scribitur.“ Codex vero ipse cum edito diligenter collatus est. Paucis locis auctior, nomina propria eadem varietate scribit, qua, ut infra videbimus, omnes codices et editiones laborant. Futuro editori multas emendationes praebebit, ut iam Leibn. dixit in Introd. in script. Bruns. [46]).

II. *Co-*

[45]) Idem queritur de Leibnitzio in universum Adelung. Direct. *Vorrede* XIII: „*Selbst Leibnitz widmete Schriften des Mittelalters nicht die gehörige Sorgfalt. Er lieſs sie von seinen Gehülfen abschreiben, herausgeben und corrigiren, las sie dann nach vollendetem Drucke durch, und sah das Original nicht eher nach, als bis er irgendwo anstieſs. Daher kam denn auch ein:* Vbertas de Saxonia *für* Vbertus de Savoia, *und andre ähnliche Miſsgriffe in seine Abdrücke.* Ipse vero Adelung etiam reprehendendus est, quod in Direct. p. 49 dicit, Witichindi vitam e Frechtii editione in Leibn. script. Bruns. T. I. p. 221. Nos certe in toto Leibnitzio ne umbram quidem huius vitae invenire potuimus.

[46]) — — Sed haec in specimen utilitatis suffecerint, quae ex his collationibus (Cod Casin. et Dresd.) capi potest.



Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/159

II. *Codex Archivi Regii Dresdensis,* quo usus est G. Fabricius, cuius post mortem in Archivum devenit. Cum editione Meibomiana diligenter eum contulit Tenzelius, Elect. Sax. Consiliarius et Historiogr., misitque adspersis notulis Leibnitzio, qui hanc collationem script. Bruns. ill. tom I. (211 — 220) inseri curavit. Neque huius codicis auctoritas tam parvi momenti est, quam Adelungio videtur [47]), qui ex uno vitio concludit, eum ab imperito esse scriptum. Non prorsus quidem hoc negamus; sed qui reliquos Witechindi codices, vel saltem editiones, quae plurimis locis codicem reddunt, accurate pervolvit, is statim videbit, eos omnes ab imperitis conscriptos esse; in uno igitur hoc reprehendere nequit. Pauca afferamus, quibus sententia nostra fulciatur. Meib. p. 631 lin. 29. legit: se recepit in *urbem,* quae dicitur Schidingi, *sita* super fluvium. Codex Dresd. habet: in urbe (i. e. se recepit a fuga;) quam (quam *urbem* — *sitam* usitatius foret etc.) Ap. Meib. p. 631. lin. 46. ingeniosus ille Thiaderici servus exclamat: hostes non omnes evasere, certe rarissimus." Dresd. contra legit: hostesne omnes evaserunt? Quod antecedenti melius convenit. Meibom p. 632. lin. 26: cumque (omisso: *ubique,* quod hoc loco vim habet et in Dresd. additur) fierent caedes, ubique ululatus, et nostrum agmen loco cessisset. Meibom. p. 633. lin 24: cumque penes regem *summa victoriae* esset (sensus poscit: *fuisset*). Dresd. vero

47) Direct. p. 49. eius verba haec sunt: *Die Lesearten dieser Handschrift geben wenig Trost, weil die Handschrift von einem sehr Unwissenden herzurühren scheint, der z. B. für Slavi beständig Flavi hat.*

vero habet *summa victoria*, quod sponte apparet. Sed haec sufficiant ad docendum, huius codicis collationem in nova editione paranda minime negligendam esse. Praeterea adnotandum est hunc codicem a Frechtiana editione multo minus differre, quam Meibomianum.

III. *Codex Frechtii*, IV. *Cod. Reineri Reineccii*, V. *Cod. Meibomii*. De his nihil fere dici potest. Editores enim, Frechtio excepto, codices suos non strictim secuti sunt; ne dixerunt quidem, num codex sit vetustus necne, num ab imperito, an perito descriptus, num aut ex alius editionis auctoritate, aut ex ingenio hic vel illic, et ubinam, aliquid mutaverint. Accedamus igitur ad recensum editionum.

*Ed. princeps* hunc habet titulum: Witichindi Saxonis rerum ab Henrico et Ottone I. gestarum lib. III., una cum aliis quibusdam raris, et antehac non lectis diversorum auctorum historiis, ab anno salutis DCCC. usque ad praesentem aetatem: quarum catalogus proxima patebit pagina. Huc accessit rerum scitu dignarum copiosus index. — (Paullo inferius legitur.) Ἐν διόδῳ εἰμί. — Bas. ap. Ioh. Hervagium, mens. Mart. ao. MDXXXII. Fol. — Haec editio a Martino Frecht, theol. doctore Heidelbergensi [48]), ex fide cod. mscr., quem Eberbaci ad Rhenum e tenebris monasterii Cisterciensis eruerat, instituta est, notisque aucta, iisdem paucis, sed perutilibus; quamquam in textu emendando magnam ingenii sagacitatem editor non exhibuit.

Ed. II. Annal. Witechindi, monachi Corbeiensis familiae Benedictinae, editi de fide codicis manuscripti et e publi-



48) Qui plura de eo scire cupit, adeat Prosopographiam H. Pantaleonis p. III. Melchior. Adam. in vita theol. Germ et Sleidan. etc.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/161

publicato exemplari alicubi aucti. Studio et opera Reineri Reinecci, Steinhem. Francofurti ad Moenum ex officina Andr. Wecheli 1577. Fol. — Ipse in praefatione ita de hac sua editione loquitur: „Nos exemplum Mscr. nacti „(unde? nusquam dicit) diligenter cum edito contulimus, „nec multum discrepare reperimus, nisi quod editi expo„sitiones de Hattone Moguntino, et in fine operis plenio„res sunt, quod utrum ad auctorem referendum, quemad„modum sentire Sigebertus et Trithemius videntur, quod „nempe diversa idem auctor exemplaria reliquerit, vel ad „alios, qui ab illo praeterita inseruerint, nunc non dis„puto." — Notas, ut vel ex titulo praesumi potest, nullas addidit; in margine autem loca, quae a Frechtii editione differunt, accurate animadvertit. Eadem cura in textu restituendo ubique elucet.

III. Annales Witechindi, monachi Corbeiensis, familiae Benedictinae, opera H. Meibomii. Francof. in officina Danielis et Davidis Aubriorum et Clementis Steichii. Anno 1621. Non contigit, ut hanc editionem inspiceremus, quia non copia eius fuit.

IV. Primi et antiquissimi historiae Saxon. script. Witechindi, monachi Corbeiensis, familiae Benedictinae, Ann. lib. III. emendatius et auctius, quam antea, editi cum luculentis (?) notis, quae instar iusti commentarii esse possunt. Opera et studio Henrici Meibomii. — In Meibomii iun. Rerum Germanicarum T. I. p. 628. Ipse Meibomius, avus, in Witechindi vita 49), quae huic editioni prae-

49) Quicunque vel fugitivo oculo hanc vitam inspexit, statim animadvertet, quam perfunctorie Meibomius eam scripserit. Vt hoc unum afferam: Witechindi mortis ne verbo quidem meminit!

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/162

praeſixa eſt, ita ſcribit: „In Reinecci editione cum aliquid deſiderarem, diſtractis exemplaribus, tertiam hanc adornavi, adiutus ſimiliter ope Mſcr. codicis, etſi non integri, ſed alicubi mutilati. Malui autem Frechtianum exemplar ſequi, quam Reineccianum, cum locupletius ſit, veteremque mediae aetatis ſcripturam retineat.“ — Quae Meibomius h. l. de ſua editione refert, non omnino vera ſunt. Vt enim omittamus codicem, niſi alia cauſſa accedat, non idcirco poſſe abiici, quod duobus locis mutilatus ſit, a Frechtio tam ſaepe neque addita cauſſa, neque adeo indicato loco differt, ut dicere poſſis, Meibomium nullum fere codicem ſequi; quo enim Mſcr. nititur, eum ipſe dicit non integrum eſſe, ſed alicubi mutilatum. Cum vero haec editio in omnium manibus verſetur, paulo copioſius de ea dicendum eſt. In rebus antiquariis ſummam et eruditionem et diligentiam oſtendit. Critici vero partes eadem cum gloria non agit. In nominibus propriis ſcribendis eſt inconſtantiſſimus; modo enim „Thuringi,“ modo „Turingi;“ modo „Theodoricus,“ modo „Thiadericus,“ ſemel quoque THIADERICVS ſcribit. Neque raro regulam, quam conſtituit, veterem mediae aetatis ſcripturam ubique retinendam eſſe, ipſe neglexiſſe deprehenditur: Sic Brandenburg habet pro Brennaburg, et quae ſunt ſimilia. Iis locis, quibus notas adiecit, nulla ſigna appoſuit, quo fit, ut lector ſaepius fruſtra notas quaerens iniucunde in legendo interpelletur; neque etiam notis paginam, ad quam refertur, praepoſuit, quod ii potiſſimum lectores, qui multi ſunt, indignari ſolent, qui doctis animadverſionibus maius ſtudium impendunt, quam ipſi auctori. In notis ipſis rariſſime critices rationem habuit, ſatis habens,

res

res ad antiquitates pertinentes illustrasse; etsi enim passim praecedentium editionum lectiones recepit, ut ipse dixit eo loco, quo de editione sua loquitur, nunquam tamen, quod debuit, causam addidit, cur alteri lectioni alteram praetulerit [50]. Denique adeo glossemata nonnunquam in textum recepit, ut pagina 630: Bretti, alias Bracti, pagina 637: ad Oram, alii Oderam, fluvium et terminos; cuiusmodi vitia passim reperiuntur.

Reliquum est, ut pauca dicamus de Pollmaecheri versione, quae hoc titulo prodiit, *Geschichte König Heinrichs I. und Kaiser Otto des Groſsen, nach den Annalen Wittekinds von Corvey. Dresden* 1790. 8. Difficile est de eiusmodi laboribus sententiam ferre, cum neque mali, neque boni dici possint. Versio ipsa est mediocris; notulae aut Meibomio debentur, aut fere pueriles sunt. Attamen eius consilium, quo efficere voluit, ut etiam ii, qui linguae latinae ignari essent, Witechindi Annalibus delectarentur, omni laude dignum est.

Haec sunt, quae de Witechindo inde a seculo XVI. ad haec usque tempora a viris eruditis facta sunt. Cum vero ei, qui huic non indigno duorum praestantissimorum imperatorum historiographo novam lucem afferre cupiat, magno fructui foret, si novus codex e bibliothecae cuiusdam latebris erueretur; nos neque tempori neque sumtui pepercimus, ut hoc nobis fortasse contingeret. Quamquam vero non contigit nobis tam felicibus esse, ut aliquem nancisceremur, tamen et illud aliquid est, dicere posse, quanam in bibliotheca nullus exstet.

I. In

50) Ne iniuriam ei fecisse videar, unicum locum affero, ubi fecit. pag. 693 sub finem.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/164

I. In biblioth. reg. Dresd. neque Annalium, neque ceterorum scriptorum, quae deperdita sunt, codex exstat. Testis est Engelhardus, de historia Saxonum meritissimus, unus e bibliothecae regiae custodibus.

II. Ex Cl. Eschenburgii humanissimis ad nos litteris vidimus, neque in Brunsuicensi, neque in Guelferbytana bibliotheca Witechindi codicem esse.

III. Eosdem successus habuit epistola ad Ill. Comitem de Hagen, qui respondit, Berolini in futuri Witechindi editoris usum nihil a se investigari potuisse.

IV. Cl. Sartorius, prof. Gotting. et Bibl. custos, nescio qua de causa non respondit. Ita etiam Cl. Wilken prof. historiae in Acad. Heidelberg. non dicam, non respondit, quod eius humanitati repugnaret; verum propter bellorum tumultus aut nostras litteras non accepit, aut eius ad nos scriptae in nostras manus non pervenerunt. Dubitare non possumus, quin eadem fata habuerint litterae ad B. Docen., qui monachii de Germanorum veterum poësi ac litteris optime meretur, atque illae ad virum generosissimum de Murr Norimbergam missae.

V. Merseburgi sunt duae bibliothecae, altera Capitulo, altera Regimini propria, quarum haec tam confusa est, ut adhuc certo dici nequeat, num quid Witechindi scriptorum ibi conservatum sit, illa nuperrime quidem a scholae Rectore in ordinem redacta est, Witechindi vero codicem nullum continet, opulentior ea in serioris historiae monumentis, praecipue ex Hussitarum temporibus. Ita scribit Erfurdtius.

VI. In bibliothecis scholae Portensis et Grimmensis nihil repertum est.

Cum

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/165

Cum haec iam scripta essent, litterae ad nos perveniunt Boerschii, qui in redigendis Annalibus litterariis Heidelberg. secretarii munere fungitur; scribit ille, Wilkenium litteras nostras accepisse, nimis autem occupatum, non potuisse adhuc respondere, se vero nos adhortari, ut Monachium, Helmstadium, et Hamburgum litteras mittamus; ibi fortasse aliquid inventum iri. Addit Boerschius, sese lubentissime codicem Heidelbergens., quem Wilkenius, in *Geschichte der Deutschen* (quae nondum in publicum prodiit, cuius vero exemplar usque ad p. 919 ad manus est, ubi tamen nil reperimus) attulerit, in usum nostrum collaturum esse. Est hic codex sine dubio idem, quem Frechtius, qui Heidelbergae versabatur, secutus est.

Novam Corbeiam non scripsimus, quia, si codex illic delituisset, a Leibnitzio, qui vehementi novum inveniendi Witechindi codicem cupiditate ardebat, dudum detectus fuisset. Latent forsitan adhuc et Annalium et reliquorum librorum Mscr. codices. Sed quisnam omnia solus perscrutetur! Optamus igitur etiam atque etiam, ut in publicum preces emittantur, velint omnes literarum patriae nostrae amantes assiduam in hanc rem operam conferre, ut novi aliquid inveniant, tum Witechindi tum diversorum scriptorum illam aetatem illustrantium et quidquid invenerint quamprimum publici iuris faciant!

---

Cap. VI.

## Cap. VI.

*Variae lectt. editt. Frecht.-Meibom. et Frecht.-Reinecc. Additis quibusdam e Lehmanni Chron. Spir.*

| Ed. Frecht. | Meibom. |
|---|---|
| Praef. Henr. I. | primus. |
| pulcro. | et pulcro. |
| claritas. | charitas. |
| Lib. I. p. 1. exolvi. | exsolvi. |
| foedus. | et foedus. |
| Thuringi. | Turingi. |
| est Saxo. | Saxo est. |
| p. 2. sequimini, inquit, me. | seq. me, inquit. |
| suaeque. | suae, suaeque. |
| Saxones. | Inde Saxon. |
| vicinis gentibus. | vicinis. |
| p. 3. Bracti. | Bretti alias Bracti. |
| tantum. | tandem. |
| redierunt in patriam. | in pat. redier. |
| dummodo. | tum modo. |
| Scoti Pehiti. | Scoti et Peh. |
| revocandum. | evocand. |
| suae. | et suae. |
| et inveniet. | et ibi inven. |
| nullumque alium. | nullum alium. |
| ungent sibi in regem. | ungunt in regem. |
| p. 4. fecit. | facit. |
| Ac Thiaderico. | Theodorico. |
| Thiad. | Theod. |
| non posse. | non satis posse. |
| et. | atque. |
| reversus est. | reversus ad THIADERICVM. |
| Rumbergum. | Runibergum. |
| Scithinga (al. Chidinga). | Schidingi. |
| Vnstruod. | Vnstrode. |

| Frecht. | Meibom. |
|---|---|
| p. 4. Vualdenius. | Wald. |
| milibus. | millibus. |
| p. 5. pulcherrimam. | pulcerrimam. |
| castrorum esto labor. | cast. iste labor. |
| atttenuatus. | attenvatus ? |
| hostesne omnes evasere? Certe etc. | hostes non omn.' evas., certe etc. |
| Et eas omnes. | Sed eos omn. |
| gloriae victoriae. | gloriae (et deest.) victoribus. |
| ad meridianam vrbis. | ad merid. plagam vrb. |
| p. 6. constitutos, | const. (deest comma). |
| attol. virorum ind. ex fragor. | att. clamor vir. |
| cumque vbique fierent. | cumque fierent. |
| tuae sororis. | sororis tuae. |
| quam diu. | quam duri. |
| sociisque utile. | sociisque tuis vtile. |
| in promtu non inveniebant. | non inv. in promtu. |
| p. 7. Hathagat. | Hathagast. |
| fere. | ferme. |
| ecce ad securos. | ec. ad secures. |
| vigilia noctis q. s. s. g. o. m. dato signo. | vigil. noc. dat. sig. q. s. etc. |
| imitantes. | innitentes. |
| Hirmin vel Chermis Graece. | Hirmin vel Hermes Graecis. |
| ad vituperationem. | ad vituperium. |
| autem haec. | haec autem. |
| moeniis. | moenibus. |
| p. 8. congregandi potest. contenti. | congr. p. contentis. |
| Vuestualos. | Westualos. |
| oportuit. | oporteat. |
| aequo iur. ac leg., prop. cont. pot. vnusq. viv. | aequo iur. ac prop. pot. unusq. cont. viv. |
| Lothouuicus. Arnulphus. Carolus. | Lothowicus. Arnulfus. Karolus. |

Frecht.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/168

| Frecht. | Meibom. |
| --- | --- |
| p. 8. cum primaeva aetate. | cum prima aetate. |
| adversus Dalmatiam. | adv. Dalamantiam. |
| Dalmatae. | Dalamanti. |
| belli asperimam. | bello asp. |
| supellectili. | supellectile. |
| imperator Centupulchro Morauorum. | imperator Centupulcho regi Mor. |
| tua claritas. | tua charitas. |
| a Sclavis. | Sclavis. |
| in Dalmatiam reversi. | in Dalamantiam reversi. |
| in Dalmatia. | in Dalamantia. |
| relicto, | relicto proprio solo. |
| Thancmarus. | Thanemarus. |
| Mogonciacae. | Mogontiacae. |
| p. 11. ad ea negotia. | ad negotia. |
| tristitia ac morbo. | iustitia ac morbo. |
| quia. | — — — |
| Francos mulctati sunt. | Franci mulctati sunt. |
| p. 12. amicum affuturum. | amicum futurum. |
| decus regium. | decus reginum. |
| post haec autem ipse rex moritur. | p. h. vero ipse rex moritur. |
| Quidlingaburg. | Wilinaburg. |
| p. 13. Alamanniae ducem. | Alemanniae ducem. |
| Arnulfus (bis). | item. |
| regnum sub antecessoribus | regnum ab antec. |
| confusum civ. bel. | contusum civ. bel. |
| Lodovici imp. | Lothowici imp. |
| Vuascani. | Wascani. |
| ad Oram quoq. fluvium et terminum. | ad Oram, alii Oderam, fluvium et terminos. |
| Oda vir fortis etc. (bis) saepe acc. Odonem habet. | Odo vir fortis. |
| servulo comite contentus. | Servulo Comite contentus. |

| Frecht. | Meibom. |
| --- | --- |
| p. 14. arte superaturos. | arte superaturum. |
| cum amicitia iunxit sibi. | cum amicit. eum iunxisset sibi. |
| Vuidekind. | Witekind — Widekindi. |
| Vuerlaon. | Werlaon. |
| melius iudicavimus silere. | mel. iudicamus silere. |
| intantum. | in tantum. |
| nihil dulcius esse possit. | nihil dul. esse potest. |
| p. 15. Normandi. | Nortmanni — Karoli. |
| verbis humillimis. | verbis humilimis. |
| cubiculo omnibus delic. affl. reclusit. | cub. omn. delc. aff. inclusit. |
| Christum confessus est. | Chr. confessus. |
| curavi, ut inde sumas quo. | curavi, quo. |
| Domine Iesu Christe inquit. | Domine inquit Iesu Christe. |
| qui pro me glorificant te. | qui per me glorificant te |
| p. 16. Luthouuico. | Ludowico — Karoli. |
| dilectatae ipsa sua. | dilectatae ipse sua |
| ex serva facta est libera. | ex serviente fact. est lib. |
| Vilia aut nulla. | Vilia autem nulla. |
| multis eos proeliis fatigans. | multos eos proel. fat. |
| contra Dalmatiam. | contr. Dalmantiam. |
| Pragum adito. | Prag. adiit. |
| Bolizlavui. | Bolislavi. |
| Dalmatae | Dalmanci. |
| Redariae in marg. al. Ribuarii. | |
| Vuallislevui. | Wallislevi. |
| p. 17. Orto sole. | Otto sole (vit. typogr.). |
| a sociis se sternebat. | a soc. se cernebat. |
| gravaretur (in marg. forte ingravesceret). | — — |
| praedicat Evangelium (in marg. forte; Evangelum vexilliferum ad hunc gnavum). | praedicat (Evangel. deest.). |

Frecht.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/170

| Frecht. | Meibom. |
|---|---|
| p. 17. supellectili. | supellectile. |
| p. 18. Lindulfum. | Luidulfum. |
| Liudgardam. | Luidgardam. |
| Dalmatiam. | Dalamantiam. |
| Hiriberthus. | Hiribertus. |
| Ruodolfus. | Rudolfus. |
| promoveret (in margine alias donaret). | — — |
| fervorem pariter et. | favorem pariter et. |
| p. 20. XVI (alias XVII). | XVI. |
| Quidelingeburg. | Quedelingeburg. |

## Lib. II.

| | |
|---|---|
| ep. ad Reginam (in lib. I.). | prologus (in lib. II.). |
| — — | explicit prologus. |
| iusserunt (in margine Iulus, locus Aquisgrani). | iusserunt esse. |
| ad Aquas grani palatii. | ad aquasgrani palatii. |
| illo. | illuc. |
| principum militum. | principum militumque. |
| procedente. | praecedente. |
| phani. | fani. |
| p. 21. cum balteo. | cum baltheo bis. |
| Mogonciacae. | Mogontiacae. |
| Treuerensis. | Trevirensis. |
| ad regem ait, accipe, inquit. | ad regem, accipe, inquit. |
| his cornibus humetenus dimissis, inquit. | his corn. inquit, humitenus dimissis. |
| zelo. | Zelo. |
| perducere. | perdurare (i. e. in pace tuenda). |
| Vuichfrido. | Wichfrido. |
| solium. | Solium. |
| per cocleas. | per cochleas. |
| p. 22. Hasiganorum. | Hassiganorum. |
| plenius dicturos arbitramur. | pl. dict. nos arbitr. |

| Frecht. | Meibom. |
|---|---|
| p. 23. Rex autem. | Rex vero. |
| regio munere honorans dimisit in pace. | reg. mun. honorant dim. in pace. |
| nephas. | nefas. |
| Sisfridus comes (bis). | Sifridus comes. |
| facta est et contentio. | facta est contentio. |
| p. 24. parum procedebant. | pariter procedebant. |
| Badilici. | Badiliki. |
| Gevehardus, Vdunis fil. | Gevehardus, Vdonis fil. |
| Dendi. | Deudi. |
| Larum. | Larum. |
| et vtilis ac fidelis. | et vtilis et fidelis. |
| vulnus ei. | ei vulnus. |
| eos contristari. | eos contristare. |
| Thiadericum. | Theodoricum. |
| vinxerant. | iunxerant. |
| in lares. | in Laras. |
| p. 25. quibus concessit, ducis etc. | quibus concessis, duris etc. |
| et defectione. | et de defectione. |
| Frithurici. | viri Frithurici. |
| suplex deposcit. | suplex veniam deposcit. |
| littus Badae fluminis. | litus Bodae fluminis. |
| Stediereburg. | Stiedereburg. |
| erumpunt portas. | erumpunt portis. |
| Salaveldum. | Salaveldun. |
| ut sese inferret Lotharius. | et sese inf. Loth. |
| p. 26. Saxoniae vel in Thuringorum terra praesidio militari tradito, ipse — — adit. | Saxonia, vt diximus, relicta, et urbibus Saxoniae vel in Thuring. ter. praes. mil. traditis ipse adit. |
| prosecutus cum exercitu. | persecutus. |
| quantocyus. | quantocius. |
| rex ait, dominus, inquit. | rex ait, domine inquit. |
| auctor et rector. | auctor. |

Frecht.

| Frecht. | Meibom. |
| --- | --- |
| p. 27. Sanctum. | Xantum. |
| omnis hostium supellex. | omnium hostium supellex. |
| Scithinge (in marg. al. Schidingem). | Schidingi. |
| regiam autem post victoriam iussum est. | regi autem post victoriam visum est. |
| suarum Henricus. | suarum (Henr. deest). |
| cum novis. | cum novem. |
| vrbem Meyburg. | Meyburg. |
| rebellaverant. | rebellaverunt. |
| p. 28. Brandenburg. | Brennaburg. |
| ditioni regiae. | ditioni regis. |
| Odoram fl. | Oderam fl. |
| duce Isilbertho. | duce Giselberto. |
| in urbe. | in arce. |
| artibus saepius dux. | artibus dux. |
| p. 29. posestate. | tempestate. |
| Iselbertho (antea Giselbertho). | Giselberto. |
| Hommaburgnensem. | Hommaburgensem. |
| Herimannus. | Hermannus. |
| Ricuinis filium. | Ricwinis filium. |
| Luthouuico. | Lothowico. |
| hiememque secuta est. | hiemeque secuta est. |
| vera nescio an falso. | vere. |
| p. 30. dubium. | dubium est. |
| et nunc. | et tunc. |
| Ansfrid. | Anfrid — Ansfrid. |
| dulce aliquid offertur. | dulce aliquid affertur. |
| p. 31. Chuonradi. | Conradi — Chuonrado. |
| quia. | quod. |
| in vndationemque. | inundationem quoque. |
| Vdone (in m. fort. Oddone). | Vdone. |

Frecht.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/173

| Frecht. | Meibom. |
| --- | --- |
| p. 31. fibulam auream regni dono concessam. | fibulam auream regi concessam. |
| p. 32. 33. Friderichum. | Fridericum. |
| multo maiori decore. | multo maiore decore. |
| reprehendisset | deprehendisset |
| Lothouuico | Lothowico. |
| Carlomannum. | Carolomannus. |
| Rothum (in marg. al.: Rothomagum). | Rothum. |
| p. 34. Liudulfum. | Ludulfum. |
| nulli mortali. | nulli mortalium. |
| lateri Aquiloni. | latere Aquilonari. |
| (deest). | explicit lib. II. |

Lib. III.

| Frecht. | Meibom. |
| --- | --- |
| — — | explicit prologus. |
| vnicum suum. | vnicum filium suum. |
| habens amplius. | amplius habens. |
| cum tribus suis seq. (in mar. alii Fuldensis Abbas). | cum tribus seq. |
| Chuonrado. | Chounrado. |
| Chorbeiam. | Corbeiam. |
| Rothun (in marg. al. Rothomagum. | — — |
| Berngarius. | item. |
| Bolizat. | Bolizlat. |
| sub signisque stans. | subque signis stans. |
| p. 36. Heinricus. | Henricus. |
| paratum esset maternis gaudiis. | paratum esset. Quare, cum in Saxoniam perrexisset, mat. gaudiis. |
| p. 37. confortatus. | — — |
| Fridesleri. | Fridisleri. |
| in Britannico bello. | in Biertannico bello. |

| Frecht. | Meibom. |
|---|---|
| p. 37. patremque miserabilius armatus. | patremque dictu miserabile armatus. |
| p. 38. Boidarii. | Baivarii. |
| eo iuncti sunt. | eo coniuncti sunt. |
| debuisset, | debuisset (falsissimum). |
| p. 39. diverterunt ab eo. | divertunt ab eo. |
| in Galliam. | in Gallias. |
| p. 40. quia intellexisset. | qui intellexisset. |
| Reinespurg (in marg. forte Regensburg). | Reinesburg. |
| inde: diutius etc. | inde diutius etc. |
| trium dierum itur. | trium dierum iter. |
| et per fluuium. | vt per flumen. |
| elabuntur. | elabitur. |
| non timore perculsi. | nisi timore perculsi. |
| p. 41. Rein (Regus nunc et Regol fl.). | Rein. |
| Fridesleri (in mar. al. Frislarium). | Fridesleri. |
| Rex redit inde. | Rex redit deinde. |
| Nouam orbem. | Novam vrbem. |
| patri primum. | patris primum. |
| est dilatatum. | est dilatum. |
| p. 42. in castris. | in castro. |
| ipso bello. | ipse bello. |
| gloria victoriae assuetis. | gloriae victoriae assuetis. |
| cum capere visus esset. | cum capere nisus esset. |
| vsque introitum. | vsque ad introitum. |
| cogens illos intra murum, oppido potito et incenso. | cogens illos intra murum. Oppido potitus eoq. incenso. |
| interfectis. Cum etc. | interfectis, cum. |
| quae erat adiacens. | quae erat vrbi adiacens. |
| pro hac re adversam invasit. | pro hoc re invasit adversa. |

| Frecht. | Meibom. |
| --- | --- |
| p. 43. opus esse nobis bonis opibus. | opus esse bonis opibus. |
| melius, bello si finis adiacet. | melius bello, si finis adiacet. |
| vinclisque solutis. | vinclis loricae solutis |
| mulctati. | mulctati sunt. |
| loco filiorum. | loco filii. |
| p. 44. trans Albimque. | trans Albiamque. |
| Suuithleiscranne. | Suithleiscranne. |
| facta sunt autem haec. | facta sunt autem (haec deest). |
| omni supellectile. | omni supellectili. |
| A tergo namque via arborum. | A tergo namque arborum. |
| Sclavos. | Sclavus. |
| p. 45. Stoinefgero, comes. | Stoinef, Gero Comes. |
| Gero cum amicis suis miliario. | Gero cum amicis Ruanis milliari. |
| Stoinefgero autem colle eminenti. | Stoinef autem colle eminentiori. |
| caedes. | caedesque. |
| p. 46. Benventorum. | Beneventanorum. |
| p. 47. quum. | eum. |
| Adridis (in mar. al. Abotritis). | Abodritis. |
| Dum invicem accusantur quum saepe. | Dum invicem quum saepe accus. |
| p. 48. Ille nihil iucundius. | Ille vero nihil iucundius. |
| Boluzlavum. | Boluzlaum. |
| signo — — movet. | et signo — — revocantur. |
| p. 49. eum. | eumque. |
| et defer domino suo. | et defer domino tuo. |
| ad duces et praefectos Saxoniae. | ad Duces et praefectus Saxoniae. |

Frecht.

| Frecht. | Meibom. |
|---|---|
| p. 49. quoquo modo tamen. | quoquo tamen modo. |
| principalibus viris | principibus viris. |
| p. 50. quos supererant. | qui supererant. |
| facundia — — mihi si adesset, non sufficeret. | facundia — — mihi adesset, non sufficeret. |
| p. 51. Imperator audita morte. | Imperator audita — — morte. |
| iudicavit. | iudicabat. |
| Quidilingeburg. | Quidelingeburg. |
| ad ascensionem celebraturus. | ascensionem celebraturus. |
| Aphrica. | Africa. |
| p. 52. vnctus — in regem. | inunctus — in regem. |

*In Lehmanni chronico Spirensi locus, quo Ottonis imago describitur, differt, ut sequitur.*

| Lehmann | Meibom. |
|---|---|
| p. 340. Ipse dominus. | p. 649. Ipse denique dominus. |
| maximus et optimus, in pr. | maximus, optimus in pr. |
| operae. | opere. |
| credulum, et ab eo post habitos. | credulum ab eo post habitos. |
| Propterea. | Praeterea. |
| eis oti. | earum oti. |
| amans. | amat. |
| haec et moles. | haec moles. |
| leonis. | leonium. |
| et qui. | vt qui. |

*Variae lectt. ex edit. Reinecc. et Frechtii.*

| Reinecc. | Frecht. |
|---|---|
| Lib. I. fol. 3. lin. 1. Saxones semper. | Saxones sibi semper. |
| lin. 21. promto, quia. | promto, ubi. |



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/177

| Reinecc. | Frecht. |
| --- | --- |
| fol. 3. lin. 23. Bretti. | Bracti. |
| lin. 25. copiosum. | spatiosam. |
| lin. 32. Brettis. | Bractis. |
| lin. 38. Peheti. | Picti. |
| lin. 51. Hugo. | Clodoveus. |
| lin. 55. Theodoricum. | Thiadericum. |
| lin. 56. Irminfridum. | Erminfridum. |
| fol. 4. lin. 12. quos. | quod. |
| fol. 7. lin. 12. Vindicado. | Vindicabo. |
| lin. 51. ipse vero quia. | ipse vero quasi. |
| fol. 8. lin. 9. A populi autem duce. | a proprio autem duce. |
| lin. 30. Circumclusi. | Circumfusi. |
| lin. 32. regi Marorum. | regi Moravorum. |

Hic inserenda est narratio Hattonis Mog: inde a verbis: „Denique ab amicis regiis“ etc. usque ad: „nobili structura illustrabat.“ In qua edit. Frecht. tam differt ab editione Reinecci, ut singula fere verba sint diversa. Sed longior est, quam ut locum hic invenire possit.

| | |
| --- | --- |
| fol. 10. lin. 15. timore absentium. | timore absentiae. |
| lin. 16. turpiter. | male. |
| lin. 21. ingenita. | ingenii. |
| lin. 44. Wilinaburg. | Quidelingaburg. |
| fol. 11. lin. 17. Oderam. | ad Oram. |
| lin. 43. succedere. | procedere. |
| lin. 44. Isilbertum. | Gisilbertum. |
| fol. 12. lin. 3. Theoderici. | Thiaderici. |
| fol. 13. lin. 32. omnem regionem. | omni regione. |
| lin. 34. Rierni. | Grona. |
| lin. 41. Dalamaci. | Dalmatae. |
| fol. 15. lin. 49. Chnubam. | Nubam. |

| Reinecc. | Frecht. |
|---|---|
| Lib. II. fol. xvi. lin. 18. maximo, optimo. | Opt. Max. |
| lin. 24. in Xisto. | Sistorio. |
| fol. 17. lin. 3. perfususque ilico. | perfusus itaque. |
| lin. 10. Isilbertus. | Giselbertus. |
| lin. 20. Mesaburiorum. | Mersaburiorum. |
| fol. 18. lin. 2. Elmeri. | Elveri. |
| lin. 18. mediocribus. | mediocris in rebus. |
| lin. 20. Bavariorum. | Baioaviorum. |
| lin. 21. legationem. | ditionem. |
| lin. 25. Bavariam. | Baioariam. |
| fol. 19. lin. 1. alia plura. | aliis pluribus. |
| fol. 20. lin. 7. traditis. | tradita. |
| lin. 19. Isilbertum. | Giselbertum. |
| lin. 26. meliuscule. | melius. |
| lin. 44. Xantum. | Sanctum. |
| lin. 53. Eilbertus. | Albertus. |
| fol. 21. lin. 34. quia. | quasi. |
| lin. 35. Brennaburg. | Brandenburg. |
| fol. 22. lin. 2. minitavit. | minitatus est. |
| lin. 36. in regnum. | in regionem. |
| lin. 38. revera. | vera. |
| fol. 24. lin. 7. perduravit. | permansit. |
| fol. 25. l. 6. soror igitur. | soror autem. |
| Lib. III. fol. 25. lin. 52. fore. | esse. |
| fol. 26. lin. 22. Bernharius. | Berngarius. |
| lin. 24. tanti ducis splendorem. | tanti decus splendoris. |
| fol. 27. lin. 30. Biertanico. | Britannico. |
| fol. 28. lin. 16. incauti. | incepti. |
| lin. 33. Theodoricus. | Thiedericus. |
| fol. 29. lin. 25. vtrumque. | totum. |
| lin. 42. argumentis. | iuramentis. |
| fol. 30. lin. 15. Reni et Donau. | Rein et Danubium. |

| Reinecc. | Frecht. |
|---|---|
| fol. 30. lin. 48. aliquantis. | aliquot. |
| fol. 31. lin. 5. praedicato. | indicto. |
| lin. 48. bonorum animorum. | bonis operibus. |
| fol. 32. lin. 11. altior. | vlterior. |
| lin. 37. Albiamque. | Albim. |
| lin. 49. affore. | adesse. |
| fol. 33. lin. 8. patrata. | parta. |
| lin. 47. Ruanis. | suis. |
| lin. 47. descendens. | discedens. |
| fol. 34. lin. 7. septingenti. | septuaginta. |
| fol. 35. lin. 1. Halardo. | Haraldo. |
| lin. 13. Alardus. | Haraldus. |
| lin. 26. Misecam. | Miscam. |
| lin. 54. circumventos. | afflictos. |

## Cap. VII.

### *Consilia ad novam editionem parandam.*

Cum venerabilis societas Iablonoviana, hanc de Witechindi Annalibus quaestionem proponens, duo inprimis spectasse nobis videretur, primum ut multi, palma exposita allecti, novum codicem eruere studerent, deinde ut excitato virorum doctorum studio nova editio pararetur: idoneum rati sumus, consilia quaedam afferre, quae a futuro editore sequenda videantur; ut iudices inde perspiciant, qualis a nobis editio exspectari possit.

Sed consiliorum nostrorum schema hoc est:

I. *Introductio.* Praemittitur copiosa commendatio de statu rerum, ad ingeniorum cultum pertinentium, quo non ea solum sunt referenda, quae ad cultum proxime acce-

accedunt, ut scholarum litterarumque conditio, verum etiam iurium ac legum totiusque reipublicae et ecclesiae status; v. c. quaenam inter reges, nobiles et liberos, ratio intercesserit. Vt enim illud vitam, ita hoc scripta Witechindi valde collustrabit. De Witechindi vita, ingenio et doctrina. Quodnam eius annalibus pretium statuendum sit.

II. *Notitia litteraria.* Docendum hic erit, quaenam scripserit, et quidnam de iis sciamus. De codicibus et editionibus Annalium.

III. *Textus Annalium* critice emendandus. Primum magnam curam futurus editor *orationi* tribuet, quam, codicum auxilio ac fide adiutus, non quidem ad aureae aetatis elegantiam, verum ad seculi X. ipsiusque auctoris indolem aptabit. Namque, quod inter omnes constat, non is finis est artis criticae, docere, quomodo auctor scribere debuerit, sed quomodo vere aut certe verisimiliter scripserit. Cavendum tamen erit, ne terminos excedat. Cum enim luculenter probari possit, codicum scriptores ipsum auctorem neque ingenio neque doctrina superasse, non verisimile est, eos saepe eum emendasse. Neque in hoc vitium editor delabetur, si prius, quam textum restituendum suscipiat, cum tota auctoris scribendi ratione intimam familiaritatem contraxerit. Quod ut felicius peragatur, curandum ei est, ut, etiamsi codex novus eruatur, priorum editorum codices aut ipse pervolvat, aut, si hoc fieri nequit, saltem pervolvi curet. Nullus enim editorum certiores nos facit, num, quem codicem in usum adhibuerit, vetustus sit, necne, num saepe an raro ab eo recesserit. — Nomina personarum, regionum, urbium, fluvio-

fluviorum recte scribenda sunt. Multum enim refert, utrum v. c. Wilinaburg, an Quedelinaburg scribatur; quae urbes sunt plane diversae. Meibomius quidem singulis locis de hoc vel illo nomine scribendo copiose, interdum diffuse disseruit, eiusque opera inprimis in dissertationibus antiquariis, quae P. II. et III. Scr. Germ. addita sunt, ab editore recentissimo minime contemnenda est; at non modo haec singula non ad unam certamque normam revocare studuit, sed etiam in editione sua ipse sibi saepissime inconstantissimus reperitur, ut iam antea docuimus. Non intelligo, quomodo Meibomius, ubi has diversas scripturas in codice inveniebat, credere potuerit, eas ab auctore ipso duxisse originem, quas facile apparet a scribarum ignorantia et incuria profluxisse. Quis enim unquam auctor, tantum non plane rudis, in eodem libro, in iisdem nominibus diversa scribendi ratione utatur? Ne igitur nostra quoque scriptura fluctuet, normae quaedam principes constituendae sunt, quarum nonnullas speciminis loco afferamus.

*a.* Ea scriptura, quae recentiori appropinquat, nisi alia causa intercesserit, utpote corrupta a scribis, reiicienda est.

*b.* Adspiratio, ut Germanicarum nationum, prioribus inprimis seculis, ubi lingua rauca adhuc erat, propria retinenda est; sic Thuringi non Turingi, Chuonradus non Conradus. In Caroli Calui iureiurando scribitur *bruodher.* Ibidem in iureiurando Germanorum *then* (*den*) *Ludhuwig*, *widher* (*wider*). Huc pertinet, quod iam supra c. I. ubi de Witechindo scribendo disputavimus, attigimus: ch antiquius esse quam k; *folch*, *denchen* etc.

c. Si

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/182

*c*. Si nominis cuiusdam scriptura ita differt, ut altera magis Germanica sit, haec praeferenda est; cum cogitari non possit, scribas ita nomina corrupisse, ut minus usitata praetulerint. Ergo v. c. non Theodoricus, sed Thiadericus scribendum est. Sed haec sufficiant.

In textu restituendo critice id quoque diligenter considerandum est, quod codices nonnullis locis omnia alia habent. Nobis vero neque hoc, auctorem diversa exemplaria reliquisse, quod a seculi illius consuetudine abhorret, neque illud, descriptores plura inseruisse, quod cum eorum incuria et ignorantia minime congruit, sed tertium accipiendum videtur, scribas, quae eorum negligentia erat, plura omisisse. Id quidem exinde verisimilius fit, quod multis locis in hac vel illa editione pauca verba desunt, ad loci intellectum omnino necessaria. Diligenter ita oratione recognita, etiam rebus, quas in historico magni momenti esse constat, critica manus admovenda est. Primum diplomatibus omnibusque monumentorum generibus accuratius utendum est, quam ab editoribus factum est [51]). Diplomata etiam nominibus propriis scribendis egre-

[51]) Meibomius quidem plura Ottonis I. diplomata collegit, sed videtur hoc serius fecisse, quam editionem curaverat. Ne vero iniuriam ei faciamus, dicendum est, multo plura diplomata recentioribus demum temporibus ab Herrgott, Hormayer, aliisque notis collectoribus publicata esse. Nemo vero diplomata ea diligentia eoque iudicio collegit, excepto F. A. Wenk, (cod. iur. Europ. recentissimi III. T.) qui recentiorem tantum temporum rationem habuit, ut Valent. Ferd. de Gudenus: Codex diplomaticus anecdotorum etc. tom. I — IV. tom. V. post eius mortem continuatus a Fr. C. de Buri. Multas Ottonis leges collegit Goldast

egregie inservient. Cavendum tamen est, ne Lunigiis, Ludwigiis, Schatenis aliisque huius generis viris nimiam ſidem tribuat. Deinde conferat ſuturus editor scriptores priores et coaetaneos, quorum annales potissimum, licet nihil sit sterilius, in annis constituendis magnam utilitatem praebebunt [52]; curetque potissimum ea, in quibus Witechindus ab aliis differt, doceatque utrum sit verosimilius. Deinde recentissimorum de iis rebus auctorum opera adhibenda est, quo ante omnia pertinent Müllerus, Simon de Sismondi, Hormayerus, Remerus, Meinersius, Wielandus, C. E. Weiſsius aliique, quos nominare non opus est. In subsidiis litterariis egregius dux erit Beckius lib. laud. tom. III.

IV. *Observationes criticae,* ubi docetur, cuinam codici lectio in textum recepta debeatur, quomodo reliqui legant, cur hanc lectionem praetulerit; denique ubinam, et quam ob caussam ingenio locum aliquem corruptum restituere ausus sit. Illud autem repeto, maxime necessarium esse, ut codices, ab editoribus adhibiti, denuo inspiciantur.

V. *Notae,* quae sensum auctoris et historiam attingant, i. e. ubi auctor aliter rem narrat, vel plane omittit, quod

Const. Imp. tom. I. p. 215 sq. p. 225 sq. tom. III. p. 303 sq. p. 309 sq.

52) Vid. C. F. Röſsler comment. de Annalium medii aevi varia conditione. Tübing. 1789. eiusd. de Annalium medii aevi interpretatione. Ibid. 1793. inprimis vero eiusdem: De critica arte in Annalibus medii aevi diligenter exercenda. Ibidem 1789. et Bodini Methodus c. V. p. 79 et seq. Amstelodami 1610.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/184

quod se fecisse, ipse profitetur [53]. Inserendae vero sunt Meibomii notae, aut omnes, aut, si hoc minus idoneum videtur, selectae.

VI. Hoc modo interna forma editionis, cuius imaginem animo infixam habemus, accurate, ut putamus, considerata, ad externa minusque ad veram editionis indolem pertinentia transeamus.

*a*) Textus in capita dividendus est.

*b*) Indices histor. et geogr. ad notas quoque respicientes in fine adduntur. In usum sumi possunt indices Frechtii et Meibomii.

*c*) In margine adscribuntur anni, quia Witechindus tempora rarissime adnotat, et paginae editionis Meibomianae, quae in omnium versatur manibus, ideoque frequenter laudatur.

*d*) Denique adiungi possunt *α*) mappae geographicae, quae formam regnorum, Henrico I. et Ottone I. regnantibus, repraesentent [54]; *β*) tabulae chronologicae; *γ*) tabulae



[53]) In praef. ad Mathild. pag. 628. „Nec tamen omnia eorum gesta nos posse comprehendere fatemur, sed strictim et per partes scribimus, ut sermo sit legentibus planus, non fastidiosus.“ Haec verba seculo X. scripta, etiam hodie multis scriptoribus acclamari possunt.

[54]) Ratp. de cas. S. Gall. ap. Goldast. Scr. R. Alem. refert: Hartmotum, abbatem, unam mappam mundi subditi operae patravisse; quae si adhuc exstaret, clarissimam lucem huic aetati infunderet. Neque, cum plurimi e seculo IX. libri illic adhuc reperiantur, (vid. *Müllers Schweizer-Gesch. Bd. I. p.* 212) eam deperditam esse credo.

bulae genealogicae. Forma optima videtur 8. maior, ut notae et observ. criticae ipsi textui commode subiici possint.

---

## Cap. VIII.

*Notae nonnullae, loco speciminis novae editionis exhibitae.*

Ad praef. p. 628 *Corbeius Witechind:* ita legimus auctoritate codicis Casin. ap. Leibn. p. 208. loco vulgati: Corbeius V.

Ibidem. *Strictim et per partes scribimus.* — Earum rerum gestarum, quas omisit, praecipuae sunt: 1) matrem Henrici I. fuisse Hathwich. Vid. vitam Mathild. c. I. p. 193 ap. Leibn. script. Bruns. tom. I. et Hrosw. de gestis Ottonis. 2) Ottonem, cum Danorum regem, Haraldum, vicisset (circ. 948.), nominis sui monumentum in freto Ottoniano, Ottensunt dicto, reliquisse. Vid. Adam. Brem. lib. 2. c. 2. Helmold chron. Slavorum lib. I. c. 9. Albert. Stad. ao. 948. et chron. Saxo. ao. 952. 3) Anno 960. contra Berengarium in Italiam vocatum, ao. 961. Ottonem filium successorem sibi designandum curasse; vid. Contin. Regin. ao. 960. Anon. Salernitanus, Camilli Peregrinii in Thes. Ital. T. IX. P. I. p. 132 sq. Vita Brunonis c. 36. ap. Leibn. Bruns. T. I. 286. Contin. Regin. ao. 961. 4) Eum Romanos in sua verba adegisse; vid. Ditm. L. II. p. 333. Luitpr. Append. c. I. Otto Fri. L. VI. c. 22. Hrosw. de gest. Ottonis c. 24. Frodoard. et Herm. Contr. ao. 962. Chron. Casin. L. I. c. 61. Pag. Crit. ao. 992. n. 1 — 6. 5) Walthe-

rum de Gonzaga ab Ottone Vicarium Imperialem, et primum Mantuae Merdiconem creatum esse. Vid. Lünig Cod. dipl. Ital. T. I. p. 1541. 6) Iohannis abrogatio et Leonis VIII. subvectio. ao. 963. vid. Luitpr. Append. c. 1 — 5. Acta ap. Dumont. T. I. p. 39 sq. Contin. Regin. Herm. Contr. Ann. Saxo ao. 963. Crantz. Saxon. Lib. IV. cap. 10. Vsser. Eccl. Succes. c. 2. §. 13. 14. 7) Tumultus Romani ao. sequenti, eorumque confectio. vid. Conc. Roman. ap. Hardt. Tom. VI. Part. I. pag. 632. Contin. Regin. Herm. Contr. et Ann. Saxo ao. 964. Imperii Chron. cap. XXVI. part. 2. 8) Benedicti Antipapae degradatio et exsilium Hamburgense, Germanicum vid. Contin. Regin. Lamb. Schaffn. ab Hermann. Contr. et Annal. Saxo anno 964. Concil. ap. Hardt. tom. VI. P. I. p. 637. Ditmar L. II. p. 337. ap. Leibn. Br. tom. I. superstitiose his verbis memoratu dignis: Romanorum praepotens Imp. Augustus *valentiorem sibi in Christo* dominum Apostolicum, nomine Benedictum, *quem nullus absque Deo iudicare potuit*, iniuste, ut spero, accusatum deponi consentit, et, quod utinam non fecisset! exilio ad Hammaburg. relegari praecepit. 9) Ottonem fortiter et severe contra Romanos tutatum esse Iohannem XIII., qui Leoni 960 defuncto successit: vid. Contin. Regin. et Ann. Saxo ao. 965 — 967. Herm. Contr. ao. 969 — 970. 10) Ottonem in concilio Ravennae habito ao. 967 Archiepiscopatum Magdeburgens. instituisse. vid. Hardt. Conc. T. VI. P. I. p. 653. Chron. Sax. a. 969. 11) Quomodo Otto Graecos ao. 970 in Apulia et Calabria superaverit, vid. Camill. Peregr. in Thes. Ital. Tom. IX. P. I. p. 136. 12) Nihil fere dicit de Conrado, Rudolfi II. († 937)

 Bur-

Burgundiae regis filio, cuius tutelam Otto vel vi vel dolo susceperat. v. Frodoard. ao. 937. 940. Eius verba haec sunt: „Otto post Ludovicum in Burgundiam proficiscitur (ao. 940.), habens secum Conradum, filium Rudolfi, regis Iurensis, quem iam dudum dolo captum sibique adductum retinebat. — Vnicus locus Witechindi est. L. II. p. 649: Rex autem de die in diem proficiscens, paterno regno nequaquam est contentus, sed abiit Burgundiam, regem cum regno in suam accepit potestatem.“ — Diplomata tamen Conradi nomine insigniebantur: vid. Ioh. Mülleri *Geschichte der Schweitz.* B. I. p. 249. Postea reddidit quidem Conrado regnum, sed magna semper in eum potestate usus esse videtur. Ita Guntramo potenti Burgundiae comiti, qui contra eum bellum gesserat, omnia fere bona eripuit, et, cum idem monasterium Granfeldense possideret, cum Conrado convenit, ne postero tempore monasteria, per privilegia constructa, hominibus saecularibus darentur. vid. dipl. ap. I. Mueller l. l. p. 259.

Sed haec sufficiant. Patebit ex his locis, quos collegimus, Witechindum praecipue ea narrare voluisse, quae Otto in Germania gesserat. Vid. etiam, quam breviter eius bella cum Haraldo et Ludovico Transmarino retulerit. Caeterum ipse dicit L. M. p. 659: Qualiter Berengarum regem Longobardorum duobus annis obsessum, cum coniuge et filiis captum in exsilium destinaverit, Romanos duobus proeliis vicerit, Romam expugnaverit, in terra Saxon. (nempe prope Goslariam) venas argenti aperuerit, imperiumque cum filio quam magnifice ditaverit, nostrae tenuitatis non est edicere, sed, ut in initio historiae prae-

dixi,

dixi, in tantum (h. e. tantum) fideli devotione laborasse sufficiat. — — Finis civilis belli terminus sit libelli.

*Ad praef.* Tua Charitas: nescimus, num hic titulus illis temporibus consuetus fuerit. Saltem *constanter* servandus est. Meibomius vero h. l. legit charitas (littera initiali parva) et p. 635. claritas. Codex Dresd. exhibet claritas utroque loco.

Ad p. 629. *Modo* (i. e. nunc) eo nexu Romanis, quod sciamus, non in usu erat.

*Ibid.* De variis de Saxonum origine narrationibus vid. Excerpta veterum script. de populis ad Albim et Visurgim ap. Leibn. Scr. Bruns. tom. I. p. 3. ubi inde a Strabone usque ad Adam. Bremens. omnes scriptorum loci, qui huc pertinent, accurate congesti sunt. Inter eos no. 40. locus exstat Witechindi ab initio usque ad mortem Brunonis, qui frater fuit Ottonis ducis Saxoniae, in expeditione Danica.

*Ibid.* *Lucani poëtae*, versus hic est:

Et Biturix, longisque leves Saxones in armis.

Cum codicum vetustorum scriptura vacillet, Turnebus (vid. Meib. ad h. l.) corrigit Suessones, qui erant notus Galliae populus. Etiam metrum Turnebi lectionem postulare videtur. Nam Romanorum poëtae, Graecorum scripturam Σαξονες sequuti, Saxones pro dactylo habent. Ita Claudianus, metri studiosissimus, de IV Cons. Hon.

v. 30: Quid rigor aeternus, coeli quid sidera prosunt,
Ignotumque fretum? maduerunt Saxone fuso
Orcades — —

Sic de Nupt. Hon. et Mariae v. 19. In Eutrop. l. 1. v. 392.

 et

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/189

et de laudibus Stiliconis lib. II. v. 255. *Ad p.* 630. Derivatio Saxonum a Sahs (*Sahs, Sachs*) ipsa lingua confirmatur. Ap. Notk. in Psalmis legitur Naht (*Nacht*), die Rehten (*die Gerechten*), noh (*noch*) etc. In iureiurando Caroli Calvi: ih (*ich*), Mahd (*Macht*).

Ad p. 631. In loco, qui dicitur Runibergam: Meibomius putat, montem Ronneberg prope Vitzenburg ad Vnstrutam fl. intelligendum esse. Eandem sententiam I. G. Boehm. in commentat. de Runibergo, ubi victus a Francis est Hermefridus, Thuringorum ultimus rex. Lips. 1774. Casp. Sagittarius, cum in Mscr. Martini Poloni Tenneberg invenisset, hoc amplexus, ita legendum statuit. Idem videtur Braunio; vid. eius *Sächs. Histor. III.* p. 47. Galetti *Gesch. Thür.* ita habet: *Den Gelehrten hat die Enträthselung dieses Namens keine geringe Mühe verursacht. Sie sahen sich bey ihrem Herumsuchen nicht sorgfältig genug in der Nähe um, und es entwischte ihnen daher eine unweit dem Schlosse Vitzenburg an der Unstrut gelegene Gegend, welche noch jetzt unter dem Namen Ronneberg bekannt ist.* Quis non videt, haec Meibomio et Böhmio deberi? Sunt vero prope castellum Vitzenburg, prope Friburgum, quod fluvius Vnstrut praefluit, agri quidam cum paucis collibus et vallibus, qui adhuc nomen Ronneberg obtinent. Sunt etiam, qui credant, montes nonnullos ad Weiſsensee sitos, qui Runiberga vocantur, h. l. intelligendos esse. Sed apparet, locum, quo Hermanfridus victus est, a castello Scheidinge longe distare non posse.

Ad. p. 634. Apud plures lex Saxon. diligenter descripta. Allatis a Meibom. scriptoribus addatur Leibn. Bruns.

T. I.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/190

T. I. p. 77, ubi Lex Saxonum, a Carolo M. data, quae h. l. sine dubio intelligenda est, emendatior exstat, quam ap. Lindenbrogium. Sequuntur ap. Leibn. leges Angliorum et Werinorum.

*Ibid.* Suevi Transalbini. Post Saxonum invasionem nulli Suevi trans Albim habitarunt, quidquid Meibomius annalium, chronicorumque afferat. Omnes enim de antiquioribus temporibus loquuntur. Opportuna igitur est lectio cod. Dresd. et Casin. qui pro Suevis Trans*albinis* legunt: Suavi Trans*bodani*. Boda vero amnis, ex Herciniis montibus ortus, Quedlinburgum alluit et in Salam mergitur. Est autem illic, si Leibnitio fides, pagus Suavia, qui partem Halberstadensis dioecesis constituit, ut ex diplomatibus constat.

*Ad p.* 639. *Sclavos.* Haec scribendi ratio retinenda est tres ob caussas. Primum quod codices ita saepius habere videntur, deinde quod verbum (*Sklav*), quod Sclavis originem debet, hanc scripturam comprobat, denique quod in diplomatibus sic scribitur; vid. v. c. I. Mueller l. l. Tom. I. p. 283. n. 273. Paullo ante loquitur W. de novis Henr. I. urbibus ita: Ex agrariis militibus nonum quemque eligens [55]) in urbibus habitare fecit, ut ceteris confamiliaribus suis octo habitacula exstrueret, frugum omnium tertiam partem exciperet, servaretque. Concilia et omnes conventus atque convivia in urbibus voluit celebrari. — Vilia autem (legendum est: *aut*) nulla extra vrbes fuere moenia

[55]) Plura historicorum testimonia attulit Lutterloh. in diss. de statut. coll. opificum. §. 4. n. a. cf. Hipp. a Collibus increm. urb. c. I.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/191

moenia [56]). Mirum est, quomodo hic locus a viris doctis intellectus fuerit: concludunt enim ex eo, Henricum novis oppidanis iura collegialia dedisse [57]). Nihil vero concludi inde potest, nisi hoc, novos oppidanos, cum, a domino separati, nullos agros colendos haberent, eas artes resumsisse, quas apud dominos in pagis exercuerant. Putant quidam (vid. *hist. polit. Betr. der Innungen.* §. 66. n. i.) artes mercenarias in oppidis primo tempore servis, praecipue Italicis, attributas fuisse. Illorum vero opiniones refutat Walch in diss. de hom. prop. civ. exp. §. 3. vid. etiam v. Selchow Tract. de iuribus in gen. c. II. §. 45. Convivia vero in urbibus celebrari Henricus eo consilio iussisse videtur, ut Germanorum odium contra urbes minueretur. Qui plura hac de re scire cupit, adeat librum egregium Semianonymi cuiusdam: *Hist. polit. Betr. der Innungen, und deren zweckmäſsige Einrichtung, von J. G. F. Hannover* 1782. 8.

Multa ex schedulis nostris exscribere possemus, nisi metuendum esset, ne longiores ſieremus. Vnum tantum addimus, quod grave est: In ſine Ann. mors Ottonis narratur, in haec verba abiens: multa ac religisosa (cod. Casin. ut nobis videtur, melius: gloriosa) seculis relinquens monumenta. Huius anno primo, qui est a Dominica incarna-

[56]) Hoc testatur Luitpr. lib. II. c. 7. „Saxonum et Thuringorum terra facile depopulatur, quia nec montibus adiuta nec firmis oppidis est munita: vid. *Pütters R. Gesch.* §. 60.

[57]) Ludewigius Reliq. Mscrpt. T. II. p. 381. Eum vero copiose refutavit Goebel in praef. ad Baieri tract. de coll. opificum.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/192

carnatione DCCCCXXXVII. Vngari Franciam et Alemanniam et Galliam usque ad Oceanum, Burgundiamque devastantes, per Italiam redierunt. Monasteria St. Galli et Bonifacii cremantur. Rudolphus, rex Burgundiae, et Arnoldus dux Noricorum obierunt. — Quis vero magni Imperatoris vitam describens eius morte relata addat: cum vero hic imperium susciperet, isti viri defuncti erant. Recte igitur in Cod. Cas. haec verba desunt, addita forsan a stolido quodam monacho, qui, nescio quid, magni momenti fecisse sibi videbatur. Historiae vero repugnat illa St. Galli crematio. Simul enim bibliothecam cremari oportuisset, quae cremata non fuit; neque Muellerus eius rei meminit.

ERRA-

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/193

## ERRATA.

Pag. 17. lin. 1. rigori l. *vigori*
— — lin. 18. admodum l. *ad modum*
— 21. lin. 4. post mota adde *est*
— — lin. 12. 13. saepe suae luxuriae l. *luxuriae suae, saepe immoderatae*
— 23. nota 2. lin. 9. licet multum l. *licet hic multum adhuc*
— — lin. 9. Non enim l. *Aliter enim non*
— 24. lin. 5. post maximam adde *ad*
— 28. lin. 10. quaedam l. *quaeque*
— 32. lin. 7. respublica l. *reipublicae*
— — lin. 16. ipsarum l. *ipsorum*
— 32. lin. 2. erunt l. *fuerint*
— 40. lin. 13. restringendae l. *restringenda*
— 43. lin. 17. parsimonia l. *parsimoniae*

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/194

MORITZ KUPFER
BUCHBINDEREI, PAPIERHANDLG
— PRÄGEANSTALT —
DRESDEN A.1
JOH. GEORG. ALLEE 14

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

| | | |
|---|---|---|
| 29. Nov. 1993 | | |

III/9/280 JG 162/6/85

SLUB DRESDEN
3 3390803

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/195

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372101410-18120300/196